GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

JANUARII BUCCERONI
E SOCIETATE JESU
THEOLOGIÆ MORALIS PROFESSORIS IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
COLLEGII ROMANI
THEOLOGI DAT. APOST. ET CONSULTORIS S. C. EE. ET RR.

COMMENTARII

DE AUXILIO SUFFICIENTI INFIDELIBUS DATO
DE THEOLOGICO AXIOMATE:

FACIENTI QUOD IN SE EST DEUS NON DENEGAT GRATIAM

SECUNDUM DOCTRINAM SCHOLASTICORUM DOCTORUM

PRAESERTIM S. THOMAE pg 3

DE NECESSITATE MEDII pg 46

DE MORIBUNDORUM ABSOLUTIONE ET ASSISTENTIA pg 50

EDITIO ALTERA

ALMA COLLEGE
234.14
LIBRARY
B851
Alma, California

ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA MARII ARMANNI
1890

4741

APPROBATIONES PRIMAE EDITIONIS

IMPRIMATUR.

Mechliniae, d. 7. Augusti a. 1884.

P. C. C. BOGAERTS, Vic. Gen.

Ego Josephus Van Reeth, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Beckx, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus: *Commentarius de auxilio sufficienti infidelibus dato, etc.* a Patre Januario Bucceroni S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas, et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 4. Novembris 1883.

J. VAN REETH S. J.

† L. S.

APPROBATIONES SECUNDAE EDITIONIS

Cum opus, cui titulus: *Commentarii de auxilio sufficienti infidelibus dato,* de *theologico axiomate*: facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, *de necessitate medii, de moribundorum absolutione et assistentia* P. Januarii Bucceroni S. J., aliqui ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

Romae d. 28. Dec. a. 1889.

Rogerius Freddi S. J.
Praep. Prov.

Cum opus, cui titulus: *Commentarii de auxilio sufficienti infidelibus, dato, de Theologico axiomate:* facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, *de necessitate medii, de moribundorum absolutione et assistentia* P. Januarii Bucceroni S. J., aliqui ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita quoque videbitur.

Neapoli d. 28. Dec. a. 1889.

Nicasius M. Mola S. J.
Praep. Prov.

A. M. D. G.

COMMENTARIUS PRIMUS

Quomodo Deus det infidelibus omnibus auxilium sufficiens ad fidem et salutem. Quomodo intelligatur theologicum axioma:

FACIENTI QUOD IN SE EST DEUS NON DENEGAT GRATIAM

I. *Dubitandi ratio.*

1. « Quoniam *sine fide impossibile est placere Deo*, et ad filiorum ejus consortium pervenire ; ideo *nemini unquam sine illa contigit justificatio.* » — « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua Dei adspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus... *propter auctoritatem ipsius Dei revelantis.* » — Nemo autem « evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque *illuminatione* et *inspiratione Spiritus Sancti,* qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati : » Conc. Vat. cap. 3. de F. — Atqui qui non habet cognitionem certam revelationis a Deo factae, non potest credere veritatem revelatam a Deo propter auctoritatem ipsius Dei revelantis. Ergo nemo habere potest fidem necessariam ad salutem, qui prius non habeat cognitionem certam revelationis. Atqui iterum cognitio certa revelationis a Deo factae nequit haberi ratiocinio aliquo a *priori ;* sed nonnisi per alienum testimonium et manifestationem acquiritur ; nam revelatio, a Deo olim facta, est positivum aliquod factum a libera Dei voluntate dependens ; facta autem a liberis causis procedentia, quae longe a nobis vel tempore vel loco obveniunt, nonnisi aliorum testimonio et manifestatione cognoscimus. Ergo infideles illi, quibus nunquam divina revelatio ab evangelicis ministris proposita est, videntur reperiri in impossibilitate salutis, et destitui consequenter illa interiori et supernaturali *illuminatione* et *inspiratione* Spiritus Sancti, ad fidem concipiendam omnino necessaria, et in qua situm est auxilium proxime sufficiens ad fidem. Necessitatem fidei quoad salutem consequendam sic explicat S. Th. 3. dist. 25. q. 2. a. 1. « Dicendum, quod ad salutem aliquis dupliciter pervenit. Quidam enim non perveniunt merito proprio, sed merito alieno, sicut pueri et stulti baptizati, quibus suffragatur meritum Christi, cuius facti sunt participes in perceptione Sacramenti : quia meritum proprium habere non possunt, cum non habeant usum liberi arbitrii, quod exigitur ad meritum. Quicumque autem usum liberi arbitrii habent, tenentur ad

merita Christi et meritum proprium addere, meritum autem consistit in actu virtutum: unde ad salutem ipsorum oportet, quod sit et actus et habitus virtutum. Actus autem omnium virtutum dependet ab actu fidei, quae intentionem dirigit. Unde in omni, qui habet liberum arbitrium, exigitur ad salutem eius quod habeat actum fidei, et non solum habitum. Fides autem non potest exire in actum, nisi aliquid determinate et explicite cognoscendo, quod ad fidem pertineat. Et ideo omni ei, qui habet usum liberi arbitrii, habere fidem explicitam quantum ad aliquid est de necessitate salutis... Dicendum, quod actus fidei ad hoc est necessarius ad salutem, quia intentionem dirigit in omnibus actibus aliarum virtutum, et ideo tantum oportet habere unicuique de fide explicita, quantum sufficit ad dirigendum ipsum in finem ultimum: unde non est de necessitate salutis, ut homo omnes articulos fidei explicite cognoscat: quia sine aliquorum explicatione potest homo habere rectam intentionem in finem.»

II. *Variae theologorum sententiae.*

2. Duplex adest propositae dubitationis generalis explicatio. Prima explicatio independens omnino est a communi illo axiomate: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* In hanc explicationem tres conveniunt sententiae. — Prima sententia est paucorum catholicorum Doctorum, inter quos est Contenson, Theol. Ment. et Cord. T. 1. L. 8. D. 2. C. 2. par. *Idem apparet* seqq. Negat haec sententia infidelibus *negativis* dari auxilium sufficiens ad fidem propter dubitandi rationem initio propositam. — Sententia haec falsa est, et contra communissimam Theologorum Catholicorum doctrinam, *theologice certam.* Quod enim infidelibus omnibus pro tempore ac loco detur a Deo gratia saltem *remote* sufficiens ad fidem, et postmodum justificationem obtinendam, demonstratur cum omni certitudine ex Scriptura et Traditione. In his affirmatur voluntas Dei salvandi omnes, et mors Christi pro salute omnium, omnino universalis, absque ulla exceptione. Ac hujusmodi exceptionem quoad infideles positive damnarunt contra Jansenistas Alexander VIII. prop. 5. prohib. d. 7. Dec. 1690., et Clemens XI. prop. 26. 27. 29., prohib. d. 8. Sept. 1713. Hanc exceptionem removerunt etiam Patres cum aperte affirmarunt gratiam ipsis infidelibus datam. Cf. Moraines, Anti-Jansenius D. 25. S. 3.-5., Theol. Wirceburg. de Grat. n. 355. seqq.

3. Secunda sententia docet omnibus dari aliquando in vita, puta cum pervenerint ad usum rationis, supernaturale lumen fidei, quo possint credere, quamvis istud lumen sufficiens non sit ad invincibilem fidei ignorantiam repellendam. Tradit hanc sententiam Mezger, Theol. Schol. T. 3. Tr. 9. D. 5. a. 2. §. 2. — Verum haec opinio gratuita omnino est; imo contra Scripturas et Patres, aperte affirmantes non omnibus gentibus fidem fuisse revelatam. Est item contra rationem, nam si interius fides revelatur, cognoscitur eius objectum ejusque memoria retinetur, alias prorsus inutilis esset talis revelatio, vel parum omnino ad fidem deserviret. Cf. Suarez, de div. Praedest. l. 4. C. 3. n. 15. seqq., de Grat. l. 4. C. 15. n. 3.

4. Tertia sententia. Deus generalis hominum provisor et gubernator praeparavit omnibus et singulis hominibus auxilia gratiae ad fidem necessaria, eam tamen voluit ad singulos homines aliorum hominum ministerio pervenire. Si haec autem fidei praedicatio ad quosdam vel etiam ad plures non perveniat, hoc *per accidens* tantum contingit, et respectu Dei est dumtaxat praevisum et permissum, sed minime intentum. Quare nihil obstat, quominus reapse ex parte Dei omnibus parata sint auxilia ad fidem sufficentia: Deus enim, qua universalis rerum omnium provisor et rector, non tenetur immutare communem cursum secundarum causarum,

ne in unoquoque ordine aliquis defectus contingat. Infideli ergo, cui nunquam per homines fides fuit manifestata, non tenetur Deus ullo extraordinario modo fidem revelare; ex vi enim suae generalis voluntatis et providentiae homines salvandi, eos salvare non cogitur modo miraculoso, sed tantum per causas ordinarias. Cf. Suarez de Grat. l. 4. C. 11. nn. 10. 11. — Hic dicendi modus est contra communissimam theologorum doctrinam, eumque omnino rejicimus. Patres enim quoad adultos, illius gratiae ad fidem necessariae defectum, non ex extrinsecis et universalibus causis, sed ex ipsa humana nequitia, et malo usu liberi arbitrii repetunt, divinis et internis auxiliis dissentientis. Et sane S. August. in ps. 18. n. 7., Migne T. 36. c. 155., « Non est ait, qui se abscondat a calore ejus. Cum autem etiam Verbum caro factum est et habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit *ullum mortalium excusare se* de umbra mortis, *et ipsum enim penetravit Verbi calor.* » S. Ambros. in ps. 118. Serm. 8. n. 57., Migne T. 15. c. 1318., ita aperte loquitur: « Mysticus sol ille justitiae *omnibus ortus est, omnibus venit omnibus passus est, et omnibus resurrexit... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat.* » S. Chrysostom. hom. 8. in Joann. n. 1., Migne T. 8. c. 65. inquit: « *Si illuminat omnem hominem* venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent?... Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto quantum in ipso est. *Si qui* autem *sponte sua, mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint,* non ex luminis natura in tenebris perstiterunt; sed *malitia sua.* » Auctor lib. de vocat. gent. l. 2. C. 26., Migne T. 51. c. 711., cum descripsisset externas et internas gratias, quibus Deus homines vocat, subjungit: « Quae opitulatio per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus adhibetur, *et quod a multis refutatur ipsorum est nequitiae*: quod autem a multis suscipitur gratiae est divinae et voluntatis humanae. » Auctor lib. de cael. hier. c. 9. §. III., Migne T. 3. c. 259., inquit: « Non recte imputari gubernatoribus Angelis, si gentes aliae ad falsorum deorum cultum devolutae sunt, *sed illis ipsis; quae motibus propriis* a recto calle, quo ad Deum ascendere possent, *sua sponte* deviarunt. » etc. Cf. Dechamps de Haeres. Jansen. l. 3. D. 8. C. 11.

5. Altera propositae difficultatis expositio, inter theologos communissima, contendit Deum, quantum ex se est, omnibus offerre et communicare illuminationem et inspirationem illam interiorem et supernaturalem ad fidem concipiendam necessariam; eamque nemini denegari, si quantum ex parte hominis est, impedimentum non apponatur. Hinc vulgare illud apud theologos axioma: » Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam. » Verum licet fere omnes conveniant in hac generali assertione, ea tamen varie a variis explicatur, unde variae etiam sunt illius axiomatis interpretationes, quarum praecipuae ad sequentes videntur posse revocari.

6. Prima praefati axiomatis explicatio est, Deum facienti quod in se est *ex viribus naturae* non denegare h. e. retribuere supernaturalem gratiam auxiliantem et justificantem, tanquam *merenti* illam *de congruo*, vel gratiam conferre tanquam *se disponenti* ad illam. Illas autem naturae vires alii intelligunt de facultate naturae, absque speciali auxilio gratiae, alii de facultate naturae adjutae a gratia ordinis naturalis. Cf. Joann. Martinez de Ripalda de E. S. l. 1. D. 17. et 18., Vasquez 1. p. D. 91. c. 14., etc.

7. Altera sententia illud effatum interpretatur de faciente quod in se est ex *viribus naturae*, h. e. ex viribus tantum naturae in facilioribus et viribus naturae adjutae ex gratia ordinis naturalis in difficilioribus. Illi vero Deo non denegat gratiam proprie dictam et supernaturalem, per quam salutem consequatur, non vi alicujus *meriti* aut *dispositionis* naturalium operum respectu gratiae, sed tantum ex sua gratuita misericordia et liberalitate, quae ab obice peccati non impeditur a sua gratia

conferenda. Cf. Suaresium de Gr. l. 4. C. 12.-17., Lugonem de F. D. 19. S. 1. et D. 12. S. 1.—3., Haunoldum Theol. Specul. l. 2. tr. 3. C. 2. Controv. 5.

8. Tertia sententia asserit, axioma illud intelligendum esse tantum de faciente per vires gratiae quod est in se. Secundum hanc sententiam Deus cooperantibus gratiae supernaturali ulteriorem gratiam sufficientem confert; cooperantibus gratiae actuali ac ultimo se disponentibus ad gratiam habitualem et justificantem eam infallibiliter impertitur. Cf. Wirceburg. de Grat. n. 290., Estium in lib. sent. l. 2. D. 26. par. 35., Struggl, de Grat. D. 3. q. 1. a. 4., Viva Curs. Theol. P. 3. D. 1. q. 9., Ysambert de Grat. ad q. 112. D. 3., Salmant. Tr. 14. q. 109. D. 3. Dub. 7.-9., De Valentia D. 8. Quaest. 3. P. 4. et 6., item Quaest. 4. P. 2., Joann. Malderum 1. 2. de causa gratiae q. 112. D. 1.—3.

9. Quarta sententia. Molina effatum, de quo agimus, sic explicat. « Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, praestove est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa ea, quae fides habet, addiscenda, et amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ac justificationem, a Deo conferri gratiam praevenientem, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem: non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse quam Pater aeternus statuerunt de auxiliis et donis, quae nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, una eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis est, praesto nobis essent auxilia gratiae, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus, ut ea ratione, dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret, quod ad Deum non convertemur. » etc. Conc. q. 14. a. 13. d. 10. initio.

10. Quinta sententia. Joannes Martinez de Ripalda l. c. D. 10. S. 2. n. 6. principium illud theologicum in hunc modum interpretatur: « Verus et germanus, planissimusque ejus proloquii sensus est, quotiescumque homo agit, quod sibi datum est, ut actum virtutis naturalem efficiat, jam adesse antecedenter Deum auxilio intrinsece supernaturali gratiae, ut vel eum actum intrinsece naturalem, extrinsece supernaturalem, ac subinde salutarem edat, vel simul cum actu intrinsece naturali, alium ejusdem virtutis intrinsece supernaturalem eliciat circa idem objectum formale, quod utrique actui naturali, ac supernaturali commune est; atque ita nullus sit conatus moraliter bonus naturae, quem aliqua gratia supernaturalis non praeveniat. » Atque secundum hunc dicendi modum, tamquam probabiliorem, eligit Sectione sequenti n. 11., eumdemque magis adhuc exponit n. 15. ejusd. Sect. Hac supposita explicatione axiomatis, de quo tractamus, alia prae oculis habenda est doctrina ejusdem Ripaldae, ut plene cognoscatur, quomodo secundum doctissimum hunc theologum Deus sufficienter providerit omnibus, quantum est ex parte sua, media ad salutem necessaria, etiam iis ad quos christianae fidei notitia numquam pervenit, ita ut ex ipsorum defectu reapse sit, quod illam tandem non consequantur. Duplicem Ripalda distinguit fidem aliam *late*, aliam *stricte* dictam. Haec vera fides est, assentiens revelatis propter auctoritatem Dei revelantis, illa nihil aliud est quam notitia Dei ex creaturis habita, et hanc laudatus auctor affirmat sufficere ad salutem, si non ex viribus solius naturae; sed ex supernaturali Dei gratia eliciatur. Quare quando ethnici ex cognitione creaturarum naturaliter ad Creatoris cognitionem assurgunt Deus elevat eorum mentes, ut aliam habeant supernaturalem cognitionem ejusdem Dei per creaturas. Huic autem cognitioni si voluntate sua consentiant; possunt alios supernaturales actus voluntatis elicere, Deum colere, diligere super omnia, et detestari peccata, quibus actibus ultimo et proxime ad justificationis gratiam disponuntur; que-

madmodum remote semper ad hanc eamdem gratiam disponuntur, quoties circa aliquam aliam materiam moralem honestum aliquem actum exercebunt, non per actus naturales, sed supernaturales, quos simul cum naturalibus eliciunt. Cf. l. c. D. 20. et 63.

III. *Status quaestionis.*

11. Praefatum axioma tribus modis intelligi potest, pro triplici gratia, quae intelligi potest non denegari a Deo: habituali, actuali adjuvante seu concomitante, et actuali excitante seu praeveniente. — Gratia primo modo accipitur a Divo Thoma 1. 2. q. 109. a. 6. ad 2., et q. 112. a. 3., et eo sensu inquit S. Doctor illud *facienti quod in se est*, non de faciente quod in se est per vires naturae esse intelligendum, sed per vires gratiae auxiliantis excitantis atque adjuvantis. Haec doctrina verissima est. Nam ad habitualem gratiam nemo potest se praeparare nisi per auxilium gratiae. Dispositio enim ad formam ejusdem ordinis esse debet ac ipsa forma. Homini autem semel per auxilium gratiae sufficienter praeparato confert Deus statim gratiam habitualem. Etenim gratia naturae accommodatur; in naturalibus autem post sufficientem dispositionem ad formam, haec statim introducitur. Atque haec explicita doctrina est Conc. Trid. S. 6., qua, cap. 5. et 6., explicans praeparationem ad gratiam habitualem justificantem, illam in supernaturali Dei gratia, et supernaturalibus actibus ex eadem gratia factis constituit, et hac praeparatione descripta, cap. 7. statim subdit: « Hanc dispositionem seu praeparationem justificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. » — Verum, licet D. Th. axioma illud intelligat de *faciente per vires gratiae*, alios tamen sensus non excludit; sed ab illis in locis citat. praescindit. Quaestio enim erat in iisdem locis de gratia habituali. Item quamvis recte intelligi possit illud axioma de gratia habituali, communiter tamen de gratia actuali intelligitur, et in hoc sensu controversia agitatur inter theologos circa praedictum effatum. Cf. Suarez de Grat. l. 4. c. 12. n. 7.

12. Porro, si gratia accipiatur pro gratia actuali adjuvante, tunc respectu talis gratiae *facere quod* in se est, non est aliquid praevium ad ipsam facere; sed quantum est ex parte hominis simul cum divino adjutorio cooperari ad actum efficiendum. Ratio est: quia respectu talis gratiae nihil praevium in homine satis est, ut talis gratia in nobis infundatur seu in nobis operetur, sed sola simultanea hominis cooperatio illud, quantum ex parte hominis est, praestare potest. Namque gratia haec *adjuvans* ea gratia est, quae *simul* cum libero arbitrio influit in actum, et in hoc contradistinguitur a gratia *praeveniente*, quae liberi arbitrii influxum in actum, ipsumque actum, natura vel tempore praecedit. — Jam vero illa cooperatio nequit esse per vires naturae, sed necessario per vires gratiae habetur, tum quia humana facultas non concurrit cum divino adjutorio ad supernaturalem actum eliciendum potestate naturali sed obedientiali, tum quia ille actus a gratia praeveniente praeparatur. « Quoties enim, inquit Conc. Araus. 2. can. 9. bona agimus; Deus *in nobis*, atque *nobiscum*, ut operemur, operatur. » *In nobis* per gratiam praevenientem, qua nos excitat ad operandum; *nobiscum* per gratiam adjuvantem, qua simul cum libera arbitrii facultate operatur. Notum etiam est Augustini effatum « Deus *praeparat* voluntatem adjuvandam, et *adjuvat* praeparatam: » *praeparat* per gratiam praevenientem ad opus excitantem, *adjuvat* per gratiam adjuvantem, concomitantem liberam facultatem, in actum influentem. Sensus ergo axiomatis est: homini sufficienter praeparato per gratiam praevenientem non defuturam gratiam adjuvantem,

si simul ipse cooperari voluerit. Et in hoc etiam sensu axioma verissimum est. « Deus namque *sua gratia* semel *justificatos* non deserit, nisi ab eis prius deseratur. » Conc. Tr. S. 6. cap. 11. « Qui vero ab *accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt*, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo..., amissam gratiam recuperare procuraverint. » Conc. Tr. ib. cap. 14. Et ad *infideles* quod spectat, qui primo credere conantur, idem Conc. inquit: « Disponuntur ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, etc. » ibid. cap. 6. Si ergo et *justus* et *peccator* et *infidelis*, praeveniente Dei gratia excitatus, non operatur, non stat quidem per Deum, paratum hominem juvare suo adjutorio, sed per ipsum hominem illam praevenientem gratiam suo libero arbitrio abjicientem, eius excitationi et vocationi resistendo. -- Age jam, non solet communiter axioma illud in hac acceptione usurpari, licet in ea verissimum sit, uti demonstravimus. Etenim facere quod in se est, solet communiter sumi tanquam praevium quid, gratiae receptionem ex parte hominis antecedens. In hoc tantum sensu quaestio inter theologos movetur de recta theologici illius principii significatione. Cf. Suarez de Gr. l. 4. C. 12. n. 8.

13. Tertio igitur gratia, de qua agitur in eo principio, sumi potest pro gratia praeveniente et excitante, sive prima sive secunda. Si de secunda gratia excitante sermo est, tunc ejus axiomatis sensus est: facienti quod in se est, i. e. non in vacuum illam primam excitantem Dei gratiam recipiendo, eique resistendo, sed illi e contrario libere assentiendo, et bene per illam operando, Deus ulteriorem et uberiorem excitantem gratiam largitur. Et in hoc sensu faciens quod in se est, nonnisi de faciente per vires gratiae intelligi potest; nam divinae gratiae praevenienti, vocanti et excitanti consentire non possumus absque eadem divina gratia praeveniente, vocante, excitante, ipsaque divina gratia adjuvante, et cooperante Cf. Conc. Tr. S. 6. cap. 5., can. 4. Alia haec illius axiomatis interpretatio admitti certe potest, nam et Dei misericordiae et liberalitati apprime congruens est; nullumque ex ea sequitur inconveniens; subaudit enim gratiam, in qua alia gratia fundari potest, ita ut gratia pro gratia donetur. — Verum nec in hoc sensu communiter principium, de quo agimus accipitur. Ut jam supra significavimus, assumitur communiter a theologis potissimum ad difficultatem exponendam, quae adest respectu infidelium, qui nondum exterius auditum fidei habuerunt, nec interius fuerunt ad eamdem supernaturalem fidem excitati et vocati per supernaturalem Spiritus Sancti illustrationem et inspirationem. Quare tota controversia, et de primario ac genuino illius axiomatis sensu, et de modo, quo reapse illis infidelibus confertur, quantum ex parte Dei est, auxilium ad fidem et salutem sufficiens, respicit dumtaxat primam illam praevenientem et excitantem gratiam intrinsece ordinis supernaturalis, qua infideles isti ad fidem et salutem vocantur, et quae eorumdem justificationis exordium est. Cf. Suarez de Gr. l. 4. C. 12. n. 9., Ripalda de E. S. D. 20. S. 1. n. 1.

IV. *Quaestionis resolutio.*

14. Propos. 1ª. — Si quaestio fiat *de facto*, de sensu nempe, quo reapse axioma de quo agimus a theologis usurpetur, asserimus illud primaria et communi acceptione intelligi de faciente quod in se est *per vires naturae*; ita ut sensus illius axiomatis sit: si quis per eas quas habet naturae vires bene operetur, accipit a Deo novas vires, cum quibus bene operans majora semper accipit a Deo ad bene oparandum auxilia, donec vel ordinaria vel extraordinaria Dei providentia ad superna-

turalem christianae fidei justitiam pertingat. — Prob. Quod theologis, qui primum illud axioma ediderunt, et qui postea idem principium adhibuerunt, paucis exceptis, ea mens fuerit, ut ipsum sensu asserto intelligerent, satis superque evincitur ex pluribus testimoniis, quae longo ordine recenset Lessius in op. de gr. eff. cap. 10. et append. ad idem caput, in qua num. 24. asserit: « Doctores per quingentos prope annos et forte multo amplius, docuisse communiter: *Si homo faceret quod in se est etiam per vires naturae, Deum illi auxilia gratiae largiturum, quibus si etiam bene uteretur majora impetraret, et sic sensim posset ad salutem pervenire.* » — Idem asserit Valentinus de Herice Tr. 3. De Dei provid. praed. et reprob. D. 27. cap. 3. n. 25. Refert enim pro ea interpretatione « facientis quod in se est *ex viribus naturae* » veteres theologos, et hanc interpretationem, ait, « in universa fere Ecclesia per trecentos annos ut veram reputatam esse. » — Haunoldus Theol. Spec., l. 2. Tr. 3. c. 2. Contr. 5. n. 775. haec habet: « Dicendum igitur est, et insistendum communi intellectui axiomatis: Homini per actus naturales aliquandiu servanti legem naturalem Deus ex sua bonitate infallibiliter providebit gratia supernaturalem, moraliter ac proxime sufficientem ad consequendam salutem, si illi homo velit cooperari.... Ita plurimi DD., quos refert et sequitur P. Suarez Lessius, Lugo, Arriaga, Oviedo, Pallavicinus. Est autem imprimis S. Thomae q. 14. de Verit. a. 11. ad 1. et 2. dist. 28. q. un. a. 4. ad 4. » Cf. etiam Comptonum Theol. Scholast. Tom. 1. Disp. 42. S. 4. n. 5. — Idem affirmat ipse Ripalda, de E. S. l. 1. D. 20. n. 1., ait enim « illud axioma usurpari solitum fuit ad salvandum auxilium sufficiens ad salutem in eis eventibus, in quibus solus usus, et conatus possibilis virtutum naturalium arguerent adesse gratiam supernaturalem sufficientem ad salutem, ut in puero perveniente ad usum rationis, et in barbaro remoto ab instructione fidei; his enim auxilium sufficiens ad salutem revocari consuevit in usum et conatus virium naturalium, quibus Deus praesto adest auxilio supernaturali. » — Antonius Moraines in Anti-Jansenio D. 21. S. 3. inquit: « Quando dicunt Theologi, Deum facienti quod in se est non denegare gratiam ... Apud illos theologos sensus duplex est Primus, facienti quod in se est cum auxilio gratiae, Deum non denegare gratiam ulteriorem, ad quam obtinendam illum disponit, excitat et adjuvat.... Alter sensus est, facienti quod in se est per vires naturales, et, quantum potest, sequenti dictamen rectae rationis circa bonum agendum et vitandum malum, Deum non denegare gratiam, qua ad fidem, vitamque supernaturalem eum vocet et adjuvet. » nn. 19. 20. Laudat Moraines pro hac expositione S. Thomam et deinde subjungit: « rationem sic opinandi habuerunt (theologi) sinceram Dei voluntatem salvandi omnes. » nn. 23. 24. — E recentioribus Theologis Raphael Cercia Tr. de gr. Chti actuali S. 4. L. 3. idem docet: « Illud effatum, ait,... multi interpretati sunt, ac etiamnum interpretantur de eo qui facit quod in se est ex viribus naturae. Quod quidem non concipiunt ad exclusionem omnis gratiae per Christum datae, sed dumtaxat gratiae theologice, seu intrinsece et in propria entitate supernaturalis. » Et L. 4. « Si hac in re ratio auctoritatis haberi velit, ac illorum sententia spectari debeat, qui primi conceptis verbis illud proloquium in scholas invexerunt; Lessius, in op. de grat. effic. cap. X. et in app. ad cap. X., tum vero etiam Carolus du Plessis d'Argentré, in opusc. Observationes in testimonia doctorum scholasticorum qui... de gratia pro conditione corruptae naturae disputarunt, ostendunt scholasticos plerosque omnes, uno alterove excepto, plusquam tercentorum annorum spatio, intellixisse illud axioma de faciente quod est in se viribus naturae. » — Hanc praefati axiomatis expositionem tanquam veram et tanquam veterum theologorum doctrinam, tradit etiam Joannes Perrone Praelect. Theolog. Tr. de gr. nn. 234. 238-240. 487., ubi haec in fine notae adjectae habet: « Imo addo, hoc effatum, quod vix in terminis non habetur apud Isidorum Pelus. lib. V. ep. 459.

Scholasticos juxta sensum a nobis expositum hausisse ex antiquis Patribus, ut ostendit Cl. Isaacus Habert op. cit. Theol. Graec. Patrum lib. 1. cap. XXIV. §. praesertim 3. et 4. » Eamdemque expositionem probant et suscipiunt Murray de Grat. D. 7. n. 110., Franc. Xav. Schouppe elem. Theol. dogm. de Grat. C. 1. art. 2. prop. 2. ob. 8°. n. 113. et inter quaest.es n. 170., Yungmann de Grat. n. 212. seqq. inquiens se ita extimare « cum summis nostri temporis theologis. » Tandem eam probat, et erudite ac docte defendit Emmus Card. Camillus Mazzella De Gr. n. 832. seqq., affirmans n. 865. praedictam sententiam « pluribus saeculis communissime propugnatam esse in catholicis scholis, Ecclesia numquam contradicente. » Et. n. 866. eam « concors Doctorum testimonium » appellat. -- Id ipsum confirmatur ex eo quod tum Novatores, tum Jansenistae, Pelagiani erroris accusarunt doctores scholasticos eo quod theologicum illud principium eo modo intelligerent. Cf. Lessium, Herice, Moraines, Cerciâ, Perrone, Mazzella ll. cc.

15. Gradum nunc facimus ad ipsam rei veritatem, quam ut distincte et explicemus et probemus, sequentes statuimus propositiones. — Prop. 2ª. — Deus decrevit dare omnibus hominibus sufficiens auxilium, quo possent et credere et justificari. — Prob. Deus voluntate *vera* et *propria*, *sincera* ac *seria* vult omnes homines, *nullo excepto*, salvos fieri, ut demonstratur in Tr. de Deo uno. Cf. Wirceburg. de Deo uno nn. 191. 192. Atqui, voluntas haec homines salvandi infert voluntatem dandi illis, quantum ex parte Dei est, media ad eam salutem necessaria, seu auxilium sufficiens, quo possint credere et justificari; secus jam illa voluntas *sincera* ac *seria* non esset. Ergo. Insuper Christus vera ac sincera voluntate pro redemptione ac salute aeterna omnium et singulorum, ne uno excepto, mortus est, mortemque obtulit, ut gratias mereretur omnibus ad salutem vere sufficientes, ut probatur in Tr. de Deo Verbo incarnato. Hinc S. Th. 3. dist. 25. q. 2. a. 1. ad 1. ait: « In his, quae sunt necessaria ad salutem numquam Deus homini quaerenti suam salutem deest, vel defuit, nisi ex culpa sua remaneat. » Et Joannes Driedo, De Concordia liberi arbitrii et Praedestinationis divinae, Edit. Lovan. 1547. pag. 19.: « Paulatim impleta est prophetia: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*, scilicet Apostolorum, nulli tamen genti defuit bonitas Dei super homines universos, generaliter dispensantis aliis largius, aliis parcius beneficia quaedam generalia, per quorum testimonia ad quaerendum verum Deum poterant homines adjuvari... Non Deus qui dare voluit; sed homo, qui vel accipere noluit, vel non custodivit est sibi causa, quod gratiam non habeat... Falsum proinde est quod, Deo auctore, gratia non apponitur, non enim Deus, sed homo fecit aliquid propter quod gratiam non apponit Deus. In aeternum permanet veritas propheticae sententiae: *Perditio tua ex te Istrael, tantummodo in me auxilium Deum.* » Et sic Paulus ad Rom. 1., 20. gentiles, qui ex Dei cognitione per creaturas ipsum *sicut Deum non glorificaverunt esse inexcusabiles* pronuntiat. Cf. Wirceburg. de Inc. n. 479. seqq., Dechamps De Haeresi Jans. l. 3. D. 7. Ergo.

16. Prop. 3ª. — Voluntas Dei dandi omnibus et singulis hominibus adultis auxilium sufficiens, quo per sufficientem fidei propositionem, sive externam, sive internam et per supernaturalem illuminationem et inspirationem Spiritus Sancti possint evangelicae doctrinae consentiendo credere et justificari, non fuit absoluta, sed sub aliqua conditione. — Prob. 1°. ex communi theologorum consensu; est enim haec assertio communiter recepta. 2°., quia quod Deus non omnibus confert, non omnibus absolute promisit, quia fidelissimus est. Atqui Deus non omnibus infidelibus confert sufficiens illud auxilium, quod proximam vocationem ad fidei constituit; nam, ut experientia constat, ad multos infideles externa praedicatio non pervenit; internae vero manifestationis et illuminationis nullum est vestigium; nec affirmari potest absque fundamento: lex enim ordinaria est,

ut homines per externam praedicationem ad fidem vocentur, ut ex Paulo ad Rom. 10. colligitur. Ergo. 3°., quia plures sunt infideles, quibus infidelitas ob invincibilem fidei ignorantiam culpae minime tribuitur, ut communis est theologorum sententia, ergo isti nec exterius nec interius sunt ad fidem sufficienter vocati, secus enim jam eorum infidelitas culpabilis esset. Cf. Suarez de Gr. l. 4. C. 15. n. 3., C. De Lugo de F. D. 19. S. 1., Vega de Just. l. 6. c. 18.

17. Prop. 4.ª — Illa conditio alia non est, quam per naturales liberi arbitrii vires facere quod in se est, naturalem legem observando. — Prob. 1°. Illa conditio, cum sit ab homine adulto praestanda, humana aliqua actio honesta esse debet. Atqui ante fidei cognitionem non alia datur lex observanda, quam lex naturalis. Ergo honesta illa actio naturalis legis observatione continetur, quod per illam locutionem, *facere quod in se est* intelligitur. Ergo illa conditio alia non est, quam *facere quod in se est, naturalem legem observando.* Et confirmatur ex communi theologorum consensu, qui hanc assignant conditionem : *facere quod in se est.* Homo autem non facit quod in se est nihil boni agendo ; nam licet *per se* solum necesse sit cavere impedimentum peccati ad faciendum quod in se est ; illud tamen impedimentum, moraliter loquendo, non cavetur sine aliqua bona actione, tum propter praecepta affirmativa saepe occurrentia, tum propter negativa, quae ob tentationes, saepe occurrentes contra ipsa, absque positivis voluntatis actibus non servantur. Et ideo non dicitur in illo axiomate *non ponenti obicem ;* sed *facienti quod in se est ;* quia aliquid boni agere oportet. — 2.° Talis actio nullam sibi adsciscit gratiam *entitative* supernaturalem. Ergo illa conditio alia non est, quam *per naturales liberi arbitrii vires* facere quod in se est, naturalem legem observando. Prob. ant. Nam 1.° finis et objectum, quae tum occurrunt, ut deliberatio fiat de illis, non sunt supernaturalia, cum illa deliberatio sit praevia ad revelationem fidei. 2.° Ista deliberatio ad fidem praevia nullam continet rationem aut meriti, aut impetrationis aut positivae dispositionis ad eamdem fidem recipiendam, ut in prop. 6ª. demonstrabitur. Ergo. — Confirmatur 1.° auctoritate D. Augustini, asserentis ante electionem ad supernaturalem gratiam nihil praecedere, « nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque : addamus etiam si placet, honestas utilesque doctrinas » de divers. quaest. ad Simplic. l. 1. q. 2. n. 22., Migne T. 40. c. 127. — Confirmatur 2.° auctoritate D. Thom. 2. d. 28. q. unica a. 4. c. « Non oportet, ait, ut actus, quibus homo se ad gratiam habendam praeparat sint naturam humanam excedentes : sicut enim natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium se habent ut dispositiones materiales ad ipsam ; unde non exigitur ad hoc, ut homo ad gratiam se praeparet, aliquod aliud lumen gratiae praecedens.... nisi forte gratia gratis data dicatur naturale lumen rationis, quod pertinet ad bona naturalia, et non ad gratuita, nisi large accepta.... Et ideo aliis consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio, se homo potest praeparare : faciendo enim quod in se est, gratiam a Deo consequitur. Hoc autem solum in nobis est, quod in potestate liberi arbitrii constitutum est » Et ad 4. inquit : « Etiam ad fidem habendam aliquis se praeparare potest per id *quod in ratione naturali est :* unde dicitur, qnod si aliquis in barbaris nationibus, *quod in se est facit,* Deus sibi revelabit illud, quod est necessarium ad salutem, vel inspirando vel doctorem mittendo. Unde non oportet, quod habitus fidei precedat praeparationem ad gratiam gratum facientem : sed simul homo se praeparare potest ad fidem habendam, et ad alias virtutes et gratiam habendam. » Ubi, ut patet, duo asserit : 1.um est: illud quod requiritur ex parte hominis, quodque si praestetur Deus excitationem dabit ad fidem, est *facere quod in se est*; alterum est: hanc conditionem ante fidem impleri per *lumen rationis naturalis.* Q. 14. de Ver. art. 11. ad 1. ait : « Si aliquis in sylvis nutritus, *ductum rationis*

naturalis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod Deus ei vel per internam inspirationem revelaret necessaria, vel ad eum praedicatorem dirigeret. » — Et ad 2. idem iterum affirmat « Quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea, quae sunt fidei ex nobis ipsis; tamen si nos fecerimus quod in nobis est, ut scilicet *ductum naturalis rationis sequamur*, Deus non deficit nobis ab eo quod nobis est necessarium. » — Suaresius autem l. c. cap. 15. n. 12. aperte inquit: « Conditionem inclusam in illa promissione, facienti quod in se est, implendam esse ab homine sine auxilio *proprie supernaturali* in suo *esse* et *ordine*, sive juvandus sit homo per auxilia ordinis naturalis, sive non. » — Albertus Magnus in 2. dist. 28. a. 1. ad 4.: « *In nobis possibile est aliquid facere*, quo facto, *habeamus potestatem ex gratia*. Hoc autem est facere, *quod in nobis est*: quia, si hoc fecerimus, Deus inevitabiliter *dat gratiam*. » — Alexander Halens. p. 3. q. 69 m. 5. art. 3.: « Concedendum igitur, quod si homo faciat *quod in se est*, Deus *dat ei gratiam*, etiam necessario, id est immutabiliter.... Videndum quid est facere quod in se est. Notandum quod in quolibet homine per naturam est recta ratio; et haec rectitudo boni est notio indita a creatione, qua quaelibet anima potest cognoscere suum principium, scilicet Deum, » etc. — A. Vega de Justif. l. 13. c. 12. versus fin.: « Et vel hoc argumento possemus convincere, quemlibet viatorem posse secundum legem converti, quia nullus est ex viatoribus, qui non possit *bene uti naturalibus suis*. Ei autem, qui nomini deest, facienti quod in se est, auxilio sine dubio praestabit sufficiens ad obtinendum bona supernaturalia. » Cf. Suarez de Gr. l. 4. C. 15. n. 39.

18. Prop. 5ª. — Nomine *virium naturae* intelligimus tum vires tantum naturae in facilioribus, tum etiam vires naturae adjutae in difficilioribus per auxilia ordinis naturalis, quae vera Christi gratia sunt. — Prob. Nam ut in facilioribus natura facultatem habet et physicam et moralem bene operandi, ita in difficilioribus, licet habeat facultatem physicam; non habet tamen facultatem etiam moralem, et illa moralis impotentia ex sufficienti gratia aufertur ordinis naturalis; auxilium enim est ad naturalem legem observandam. Nulla autem in praesenti gratia est, quae non detur per Christum, adeoque Christi gratia non sit. « Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. » 1. Tim. 2., 2. Ergo. — Et sic Haunoldus l. c. Contr. 7. n. 809. asserit « de facto gentiles adjuvari speciali *gratia per Christum* entitative et intrinsece naturali. » Cf. etiam l. c. Contr. 5. n. 775. — Et Marcus Struggl hanc statuit propositionem, Theol. univers, P. 1. Tr. 6. D. 4. Quaest. 2. art. 2. III.: « Homo in statu naturae lapsae etiam infidelis potest exercere aliqua opera *naturaliter* honesta absque *gratia* actuali non solum *quoad substantiam*, sed etiam *quoad modum supernaturali*. » Cf. Dechamps de haeresi Jansen. l. 3. D. 8. cap. 12. nn. 3.-4.

19. Prop. 6ª. — Etiamsi ante fidem faciat homo quod in se est, observando legem naturalem viribus non tantum naturae verum etiam gratiae, licet ordinis naturalis; haud tamen ullo modo vel de *condigno* vel de *congruo* gratiam vocationis ad fidem meretur, neque se *positive* ad illam disponit. — Prob. 1°. August. de praedest. Sanctorum cap. 15., Migne T. 44. c. 981. seqq., initium gratiae per vocationem ad fidem aequiparat Incarnationi, quatenus sicut in humanitate assumpta nihil potuit praecedere, quo aliquo modo mereretur hypostaticam Verbi unionem, ita et in homine nihil potest praecedere quod fidem mereatur. « Quisquis in Capite nostro praecedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis, membris ejus, praecedentia merita multiplicatae regenerationis inquirat », etc. Item l. de gr. et lib. arb. cap. 8., Migne T. 44. c. 892. seq., justificationem comparat creationi, quia sicut creatio est ex nihilo, ita justificatio ex nullo merito esse potest. « Audi et intellige, *non ex operibus* dictum, tamquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tan-

quam his, in quibus te Deus finxit, i. e. formavit et creavit », etc. Nullum igitur *meritum*, nulla *praeparatio* ad fidem ante ipsam fidem datur. Insuper de praedestin. Sanctor. cap. 7., Migne T. 44. c. 969. seq. ait, nulla opera posse esse merita vel impetrationem fidei, quia, ut opera habeant vim merendi, vel impetrandi, debent ex fide procedere; fides praecedit, ut per illam cetera impetrentur. Idem repetit Epist. 194. n. 15., Migne T. 33. c. 879., ubi ait: « Si dixerimus fidem praecessisse, in qua esset meritum gratiae, quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem », et epist. 186. n. 10., Migne T. 33. c. 819., in qua ait, fidem non esse tribuendam praecedentibus meritis aut impetrationi, quia omnia haec radicantur in fide. Praeterea inquit S. Doctor, vitam aeternam ita esse mercedem meritorum, ut sit etiam gratia, quia est gratia pro gratia, quia meritum ejus fundatur in priori gratia: fidem vero ita esse gratiam, ut non possit merces appellari, quia non potest supponere meritum fundatum in gratia, et omne aliud fundatum in operibus non potest esse meritum ullum gratiae aut fidei. Ll. ap. Suarez cc. de Grat. l. 4. C. 15. n. 24. Tandem lib. de gr. et liber. arbitr. cap. 7. n. 17., Migne T. 44. c. 892. « Opera, inquit, sunt ex fide, non ex operibus fides » opera utique, quae sint alicujus meriti et per se conferant ad veram justitiam. Et ideo l. 4. contra Julianum cap. 3., Migne T. 44. c. 743. et seqq. ante Fidem, ait, nullum esse verae virtutis opus, non quia bonum esse non potest morali modo; sed quia cum non conferat ad salutem, est quasi nihil in negotio salutis. — Eandem Augustini doctrinam tradunt Prosper et Fulgentius, qui ante fidem omne meritum et omnem negant impetrationem; et omne meritum in fide radicari affirmant. Cf. ll. cc. apud Suaresium l. c. n. 25. Cf. item Isaacum Habert Theol. Graec. Patr. l. l. c. 24. — 2°. Meritum debet esse proportionatum praemio, dispositio proportionata formae. Atqui actus, quos homo per naturales facultates producit non habent proportionem cum gratia entitative supernaturali. Ergo.

20. Nota: Hinc ratio patet, cur in eo axiomate potius *negative* dicatur, Deus *non denegat*, quam *positive*, Deus *dat* gratiam. Homo enim faciens viribus naturae, quod in se est, nullam ponit sua operatione rationem gratiam accipiendi, sed impedimentum tantum removet, quo posito, jam Deus, gratiam liberaliter oblatam pro loco et tempore convenienti actu conferre non amplius tenetur. Ex seria enim et sincera volnntate hominem salvandi non tenetur Deus uberiores semper gratias largiri, cum collatas gratias homo respuerit. — Atque hoc eodem sensu *negativae* tantum dispositionis S. Th. ait l. jam c. 2. dist. 28. q. l. a. 4. c. et ad 4. « Non exigitur ad hoc, ut homo ad gratiam se praeparet, aliquod aliud lumen gratiae praecedens.... Nisi forte gratia gratis data dicatur naturale lumen rationis, quod pertinet ad bona naturalia, et non ad gratuita, nisi large accepta.... Etiam ad fidem habendam aliquis se praeparare potest per id, quod in naturali ratione est. »

21. Prop. 7ª. — Statuta conditio faciendi quod in se est *negative* dumtaxat se habet in ordine ad gratiam a Deo conferendam, scilicet ut *removens obicem* et impedimentum ejusdem gratiae, quod peccatum est. — Prob. 1°. auctoritate D. Thomae, 3. C. G. C. 159. obiectione proposita, quomodo sit in hominis potestate salus, cum haec pendeat ab auxilio gratiae, quod homo promereri nequit, respondet: « Ad hujus dubitationis solutionem considerandum est, quod, licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri nec acquirere possit, potest tamen *seipsum impedire* ne eam recipiat; dicitur enim de quibusdam: *Dixerunt Deo: Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus*, Job. 21., 14., et, *Ipsi fuerunt rebelles lumini*, Job. 24., 13. Et cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, *impedire* divinae gratiae receptionem vel *non impedire*, non immerito in culpam imputatur ei, qui *impedimentum* praestat gratiae receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare. Omnes enim homines vult salvos fieri, et ad agnitionem ve-

ritatis venire, ut dicitur 1. Tim. 2., 4. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiae impedimentum praestant; sicut, sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis praeveniatur. » Idem Angelicus Doctor q. 14. de Verit. art. 11. ad 1. « Ad divinam, ait providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, *dummodo ex parte ejus non impediatur*, » — 2.° per exclusionem. Gratia ad fidem proxime sufficiens omnibus est per Xtum a Deo oblata et promissa non absolute sed sub aliqua conditione ab homine pendente, ut ex dictis constat. A. haec conditio non habet rationem meriti vel dispositionis supernaturali gratiae proportionatae, ut jam probatum est. Ergo superest, ut sit tantum conditio obicem et impedimentum gratiae non ponendi per peccatum — 3.° confirmatur. Si aliquis adultus omnino caret gratia illa ad fidem omnino necessaria talis certe defectus auxilii non est primario ex parte Dei repetendus, sed ex parte hominis, ut ex dictis patet. Atqui causa carendi tali auxilio nequit esse, quod illud non mereatur, vel ad illud non se praeparet: neutrum enim facere potest ante primum supernaturalis gratiae auxilium. Ergo solum causa esse potest, quatenus ponit aliquod impedimentum gratiae Dei. Ergo e contrario conditio illud auxilium dandi rationem solum habet remotionis obicis et impedimenti. Cf. Suarez de Gr. l. 4. C. 15. nn. 33. 42., de Auxil. l. 3. c. 2. §. 3., Wirceburg. de Gr. n. 278. par. *Dico* IV.

22. Corollarium 1m. Quoniam *facere quod in se est* non est neque *meritum*, neque *dispositio* ad gratiam, sed mera *conditio* removens prohibens gratiae; cum haec datur nonnisi ex mera Dei misericordia datur. Quod autem posita illa conditione, Deus infallibiliter illam gratiam largitur, hoc non est vi alicujus debiti aut obligationis, qua Deus erga hominem adstringatur, sed hoc dumtaxat consequitur ex sua liberalissima voluntate, qua vult omnes homines *sincere* et *serio* salvos fieri, et qua merita Christi Redemptoris nostri pro salute omnium et singulorum acceptavit. Infallibilis igitur connexio inter facere quod in se est, et largitionem supernaturalis gratiae non est ob ullam hominis *positivam dispositionem* ad gratiam; sed tantummodo ob liberalem Dei voluntatem, quae, omni remoto impedimento, pergit adimplere de facto, quod promisit. Cf. Suarez de Gr. l. 4. C. 15. nn. 1. 2.

23. Corollarium 2m. Licet homo non possit suis viribus gratiam mereri et ad eam positive se disponere, potest tamen illam positive demereri et impedire. Hinc Conc. Arausic. 2m. can. 22. inquit: « Nemo habet *de suo* nisi mendacium et peccatum. Si *quid* autem homo habet *veritatis* atque *justitiae*, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via. »

24. Prop 8a. Praedicta conditio *facienti quod in se est* ad gratiam obtinendam, licet eo sensu sit conditio, quod ea posita Deus infallibiliter suam gratiam largiatur; non est tamen conditio etiam hoc alio sensu, quod, ea remota, Deus suam gratiam deneget. Quare conditio non est, *sine qua non* gratiae habendae, sed conditio tantum *cum qua* illa gratia a Deo certo obtineatur. — Prob. Deus saepe et saepissime illam gratiam donat magnis peccatoribus naturalem legem transgredientibus, juxta illud Isaiae c 65. *Inventus sum a non quaerentibus me*. Ergo. Hinc Albert. Magn. in 2. Dist. 28. a. 1. ad 4 ait: « Deus uno modo se habet semper ad nos, scilicet gratiam porrigendo; sed nos non uno modo nos habemus ad eum quoniam avertimur: sed, si convertimur faciendo quod in nobis est, statim accipimus. » Suarez de Auxil. Opusc. 1. l. 3. C. 3. n. 6. seqq.

25. Nota 1°. Hinc fortasse, ut notat Eximius Doctor de Gr. l. 4. cap. 15. n. 14. « non sine causa dictum non est in illo axiomate, facienti quod in se est *Deus dat gratiam*, ne forte putaretur etiam posse converti dicendo, non facienti quod in se est Deum non dare gratiam, quod omnino falsum est; tantum dictum est, *Deum non denegare gratiam* facienti quod in se est, quia justissime potest denegare illam non facienti

quod debet, et saepissime id facit, et e converso misericorditer eam donat facienti quod in se est, et infallibiliter propter Christum, et respectu ejus etiam iuste. »

26. Nota 2°. « Homo qui jam semel non fecit quod in se est, sed peccavit, si rigor justitiae attendatur quantum in se est perpetuum impedimentum gratiae posuit, eaque privari omnino meruit novo demerito, et distincto ab eo, quod per peccatum originale contraxerat, quod totum de se manifestum est, considerata malitia mortalis peccati, de quo loquimur. Nihilominus tamen attento ordine divinae providentiae, et gratiae, dicendum est, quamdiu talis peccator in hac vita vivit, etiamsi Gentilis, vel infidelis sit, Deum esse paratum ad vocandum, et per gratiam praevenientem illuminandum illum, si eo modo quo potest per auxilium, quod actu recipit, etiamsi ordinis supernaturalis non sit, cesset impedimentum apponere, faciendo quod in se est ad observandam legem naturalem. Et hoc ex parte convincit illa secunda objectio, quia isti peccatores non sunt extra statum salutis; ergo habent sufficiens auxilium ad illam consequendam; sed multi sunt qui illud non habent actu in se receptum, quia Deus non omnes peccatores ita praevenit, ut testatur Divus Thomas 3. Contra Gent. cap. 161., et maxime videtur verum de praeventione per auxilium ordinis supernaturalis; ergo necesse est, ut saltem det hoc auxilium, offerendo illud quantum in se est, si per hominem non steterit, seu, quod idem est, si desistat actuale impedimentum gratiae apponere. Unde ut talis conditio impleatur, non est necessarium, ut homo a se expellat maculam peccati, quam contraxit, ut recte notavit Alens. 3. part. quaest. 61. art. 3. ad 5., quia hoc est impossibile sine praevia fide, et aliis auxiliis supernaturalis gratiae. Quia licet talis macula de se impediat, Deus pro sua misericordia et propter Christum, ea non obstante, paratus est succurrere homini, « si removeat, (ait Alens.) actum suum voluntarium, et dissensum ad bonum, et consensum ad malum, nam post hoc removet illud quod est prohibens gratiam, » id est, cessat ponere impedimentum, quod satis est, ut Deus pulset per gratiam, occasionem, et tempus sua voluntate libere disponendo, ut in fine praecedentis puncti explicatum est. » Suarez l. c. C. 16. n. 21. Huc referri possunt verba Driedonis in Tract. de Captivit. et Redempt. gener. hum. loc. infra cit.: « Non sic igitur de ullo peccatore desperamus prorsus in hac vita, quin confidamus esse vicissitudines instinctuum et inspirationum divini Spiritus euntis et redeuntis. » Cf. n. 24.'

27. Prop. 9ª. Ad tempus quod attinet, quo Deus dat homini facienti quod in se est auxilium supernaturale proxime sufficiens ad fidem nihil definite a nobis potest affirmari. Hoc enim Deus suae liberae dispositioni et providentiae reservavit. — Prob. 1°. Nam quando Deus suam gratiam sit donaturus hoc neque ex positivis argumentis constat, nec ex natura rei erui potest. — Non 1ᵐ. Namque licet aliqui theologi, inter quos Alphonsus a Castro apud Estium loc. cit., opinati sint hominem facientem, quod in se est, eodem momento accipere Dei gratiam; hoc tamen in particulari revelatum non est, neque consequitur ex universali redemtione Christi, et ex generali Dei voluntate, qua Deus vult omnes homines salvos fieri; nam haec impleri possunt quovis vitae tempore, dum adhuc mors non instat. Neque vero ex ipsa divina bonitate deduci potest. Optime enim potest Deus largitionem illius gratiae differre, ut det eam tempore majoris necessitatis vel congruentiae in ordine ad alios fines providentiae suae. — Non 2ᵐ. Nam illud quod homo operatur, quando facit quod in se est, non est *ultima dispositio* ad gratiam excitantem, imo nec dispositio, sed tantum *removens prohibens,* quare non habet necessariam connexionem cum gratia statim danda. — 2°. Nam de adultis gentilibus legimus quosdam a Deo statim illuminatos, quosdam vero nonnisi in postrema vitae aetate fidem audivisse, quam antea neque exterius neque interius perceperant. Ergo quantum ex experientia hac in re argumen-

tari licet, illud tantum asserere possumus Deus suam gratiam non denegaturum, quovis demum tempore id contingat. — 3° Non statim ac homo facit aliquid boni censetur facere quod in se est, neque vero exigitur integra legis observantia per totum vitae tempus ad faciendum quod in se est. Solus autem « Deus scit, quantum temporis, et quanta legis observantia a singulis expectetur, ut illuminari debeant ad fidem », De Lugo de F. D. 12. S. 3. n. 48. Ergo nihil definite asserere possumus quoad tempus, quo Deus illam gratiam largitur. Cf. Auctor. l. de Vocat. Gent. l. 2. CC. 17. 18., Migne T. 51. c. 704. seqq., Suarez l. c. C. 15. n. 42.

28. Prop. 10ª. Ad modum quod spectat revelationem et fidem ad salutem necessariam infideli manifestandi, qui fecerit quod in se erat, uti Deus potest vel evangelico praedicatore, vel angelorum ministerio, vel internâ aliqua inspiratione. — Prob. 1°. Ut constat ex sacris litteris saepe in V. T. Deus ministerium angelorum adhibuit ad hominum bonum et instructionem, eosque interioribus erudiit visionibus. Cf. Cornel. a Lap. in Exod. c 23. v. 20., Joann. de Pineda in Job c. 4. v. 16. et c. 33. v. 14. et seqq, S. Th 2. 2. q. 172. a. 2., Suarez de Angelis l. 2. C. 28. n. 69. et l. 6. C. 16. et 17. Ergo nil prohibet quin et in N. L., in qua Dei misericordia abundantius resplendet, iisdem utatur mediis ad hominum salutem, ubi praedicator fidei desideretur. — 2°. Augustinus nonnullis asserit, licet paucissimis, donatum esse, ut nullo homine praedicante, per Dominum vel per Angelos fidem accipiant. « Haec, ait, ne dicerentur eis, nequaquam illi sancti ea mente timere potuerunt, qua intelligebant *paucissimis esse donatum, ut nullo sibi hominem praedicante per ipsum Deum vel per Angelos caelorum doctrinam salutis accipiant;* multis vero id esse donatum ut Deo per homines credant ». De dono persev. cap. 19. n. 48., Migne T. 10. c. 1023. — Auctor libri de caelest. hierar. C. 9, Migne T. 3. cc. 259. 262. asserit ante adventum Christi plures gentiles consecutos esse salutem ex instructionibus ab Angelis receptis, qui singulis praesunt nationibus. Etenim inquit: « Nempe in aliis gentibus, ex quibus et nos ad immensum et infinitum divini luminis pelagus, quod semper paratum est, et patet omnibus ad participandum, ex praeteriti erroris caecitate respiravimus, *ad quod sane obsequentes ducebant Angeli praepositis singulis nationibus.* » — Et auctor lib. de vocat. omn. gentium l. 2. c. 5., Migne T. 51. c. 691. occultiori inspirationi gratiae gentilium, qui salvantur, salutem adscribit. « Sed cum in illo populo, inquit, cui utraque eruditio praefuit, nemo nisi gratia justificatus sit per spiritum fidei, quis ambigat eos, qui de quibuscumque nationibus quibuslibet temporibus Deo placere potuerunt, *spiritu gratiae Dei fuisse discretos? Quae etsi parcior ante atque occultior fuit, nullis tamen saeculi se negavit virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opere multiformi.* » — 3°. Statuta propositio aperta sententia est Angelici Doctoris q. 14. de Verit. a 11. ad 1., de homine nutrito in sylvis vel inter bruta animalia et ductum rationis sequente affirmat: « *Certissime* est *credendum,* quod ei Deus vel *per internam inspirationem revelaret* ea, quae sunt ad credendum necessaria vel *aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret,* sicut misit Petrum ad Cornelium ». — 2. d. 28. q. un. a 4. ad 4. S. Doctor aperte inquit, quod facienti quod in se est « Deus *revelabit* illud quod est necessarium ad salutem *vel inspirando, vel doctorem mittendo.* » — In 3. Sent. Dist. 25. q. 2. art. 1. ad 1. ad 2. postquam dixerit, quod in necessariis ad salutem Deus homini, suam salutem quaerenti, non desit, nisi ex culpa sua remaneat, Cf. n. 15. concludit: « Unde explicatio eorum, quae sunt de necessitate salutis *vel divinitus homini provideretur per praedicatorem fidei,* sicut patet de Cornelio Act. 10., vel per revelationem, qua supposita in potestate liberi arbitrii est, ut in actum fidei exeat.... Si talis (natus in sylvis vel inter infideles) faceret quod in se est de quaerendo salutem, Deus illi aliquo dictorum modorum provideret de salute sua. » — Ibid. art. 2. sol. 2. « Post adventum Christi,... omnes tenentur

ad explicite credendum, et *si aliquis instructorem non haberet Deus ei revelaret*, nisi ex sua culpa remaneret ». Ibid. ad 3. « Quamvis aliis gentibus non esset data lex divinitus communiter omnibus sicut Judaeis, ex quibus nasciturus erat Christus, et sic oportebat in eis potius fidem vigere : tamen multis etiam gentibus revelationes per Angelos factae sunt etiam de Christo, sicut patet de sybilla, quae de Christo expresse prophetavit. In historiis romanis etiam legitur, quod temporibus Constantini imperatoris inventum fuit in Graecia quoddam corpus in sepulchro quodam habens laminam auream supra pectus, in qua scriptum erat: Christus nascetur ex virgine, et credo in eum. O sol, sub Helenae et Constantini temporibus iterum me videbis. » Et 2. 2. q. 2. a. 7. ad 3. idem habet Angelicus Doctor. « Dicendum, ait, quod multis Gentilium facta fuit revelatio de Christo, ut patet per ea quae praedixerunt. Nam Job. 19. dicitur: *Scio quod Redemptor meus vivit.* Sibylla etiam, etc. Invenitur etiam in historiis Romanorum, etc. Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam ; habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia credentes Deum esse liberatorem hominum, secundum modos sibi placitos ; et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelasset, secundum illud Job, 35. *Qui docet nos super jumenta terrae.* » — 4.° Singuli infideles Angelo custode assistuntur ; unum autem ex praecipuis officiis custodiae Angelorum est hominum mentes illuminare. Ergo. « Munus, inquit Suaresius l. 6. de Angel. C. 19. n. 1., angelicae custodiae est animam excitare et movere tum ad operandum bonum, tum ad cavendum malum, quod imminere praevident, vel jam adesse cognoscunt. Quod faciunt illuminando et persuadendo modo supra tradito. Et ad hoc beneficium pertinent plures particulares actiones, quae ex Scriptura colliguntur, ut revelare mysteria. Gen. 18., Judic. 14. » — Item Petavius de Angel. l. 2. C. 7., Steph. Dechamps de haeresi Janseniana l. 2. cap. 7. num. 7., etc — 5°. Ideo praedictus modus interioris inspirationis vel angelici ministerii admitti non posset, quatenus ad fidem proprie et stricte talem requireretur ejusdem propositio per homines, seu evangelicos praecones facta, secundum illud ad Rom. 10. 14. *Quomodo credent ei quem non audierunt ? Quomodo autem audient sine praedicante ?* Atqui fidei propositio, ab homine praedicante facta, nullo pacto pertinet ad essentiam fidei proprie et stricte talis. Nam ea propositio extrinseca omnino est actui fidei : neque enim est obiectum materiale fidei, neque obiectum formale. Objectum materiale est : veritas revelata a Deo ; objectum vero formale est : auctoritas Dei revelantis. Utrumque autem obiectum idem manet, sive hominis, sive angelorum ministerio, sive interiori Dei inspiratione proponatur. Neque vero difficultatem facit locus cit. Apostoli. Paulus enim loquitur de modo ordinario, quo fides proponitur. Et sic idem Apostolus Paulus in Ep. ad Hebr. cap. 10 v. 6., ubi loquitur de necessitate *absoluta* fidei supernaturalis, et stricte talis, ad salutem, nullam facit mentionem propositionis ex parte evangelici praeconis seu praedicantis. Conc. item Vaticanum quod ex professo de fide tractavit nullibi affirmat hanc *absolutam* necessitatem propositionis fidei ex parte hominis praedicantis. Apposite Toletus in Ep. ad Rom. l. c. « Loquitur (Paulus) de communi modo concipiendi fidem, et credendi : nam aliquando Deus revelat ea, quae credenda sunt, et tunc homo credit, etiamsi non audiat exterius, sed tantum interius, Deo revelante. Paulus autem de exteriori auditu et praedicatione tractat, quae per homines fit ; hic enim est communis modus fidem concipiendi. »

29. Quae huc usque dicta sunt resumentes, veros sensus axiomatis, de quo agimus, subjicimus. Illius communis axiomatis, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam* sensus non est : facienti per vires naturales quod in se est per modum meriti, aut moralis saltem dispositio-

nis, quae gratiae recipiendae sit proportionata, Deus eam non denegat, seu dat *quia* facit quod in se est; sed sensus est: Deus non denegat gratiam vel facienti quod in se est per vires ipsius supernaturalis gratiae si habet; vel si non habet facienti quidem quod in se est per vires naturae; minime vero; in hac hypothesi, *vi* alicujus positivae dispositionis ad gratiam; sed dumtaxat, quatenus removetur impedimentum, seu obex peccati, tanquam praevia conditio, non semper caeteroquin requisita, ut gratia detur, sed tantum, ne juste possit denegari, Cf. n. 21., quae consequenter *negative* tantum conducere potest ad gratiam *ex mera liberalitate* Dei habendam. Unde haec quando datur homini, qui facit per vires naturae quod in se est, datur utique *facienti*, at non datur *quia* facit. *Vires* autem *naturae* complectuntur tum vires mere naturales, tum specialia quaedam auxilia ordinis entitative naturalis, et supernaturalia tantum *quoad modum*. Hisce autem viribus faciens quod in se est nondum quidem habet in se sufficientem dispositionem ad fidem et gratiam justificantem; sed ulterior requiritur gratia *initialis fidei*, et *caritatis*, supernaturalis iam ordinis, quam Deus largitur, et qua quis proxime et sufficienter ad fidem primum, et deinde ad iustificationem disponitur.

V. *Aliorum doctorum sententiae.*

30. Primam axiomatis, de quo agimus, explicationem, Cf. n. 6., admittimus quidem, quatenus *facere quod in se est* intelligit *per vires naturae* juxta propos. 4.^{m} et 5.^{m} Eam vero rejicimus quatenus contendit illam naturalis legis observantiam continere rationem *meriti* vel *positivae* dispositionis ad gratiam juxta prop 6.^{m} et 7^{m}. — Et sane Paulus ad Rom. 3. omnia nostra opera, utcumque facta sive ex viribus tantum naturae, sive ex viribus naturae adjutae etiam gratia ordinis naturalis, sive etiam ex auxilio gratiae supernaturalis ordinis, in opera distribuit, quae non *ex fide*, et opera quae *ex fide* profluunt. De prioribus illis, quavis virtute factis, sive virtute tantum naturali sive virtute etiam gratiae naturalis ordinis, absolute inquit: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*, et cum dixisset: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi*, statim concludit: *Justificati gratis per gratiam ipsius*, per gratiam scilicet *fidei Jesu Christi*, de qua iterum inquit infra: *Arbitramur enim justificari homines per fidem sine operibus legis*, et ad Eph. 2. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis Dei enim donum est*, et *non ex operibus*, ex operibus nempe ante fidem et sine fide factis. Quae ideo excludi dicit Augustinus de gr. et lib. arb. cap. 7. n. 17., Migne T. 44. c. 891., « ne dicerent *suis operibus* se donum tale *meruisse*. » Cf. Suarez de Gr. l. 4t C. 15. n. 29.

31. Secunda sententia, Cf. n. 7., prae reliquis omnibus nobis videtur omnino vera, et eam in quaestionis resolutione per omnes suas partes conati sumus explicare, vestigiis insistentes Angelici Doctoris et Eximii Suaresii, quam C. De Lugo, Lessius, Herice ll. cc. Franc. De Victoria, Relection. Theologic. Rel. De eo, ad quod tenetur homo veniens ad usum rationis, aliique plures et insignes theologi communissime tenent.

32. Tertia sententia, Cf. n. 8., quatenus illud axioma intelligit de faciente quod in se est per vires gratiae ordinis supernaturalis verissima profecto est, ut constat ex dictis par. 3.^{a}, et a theologorum catholicorum nemine improbatur. Verum, quatenus ista sententia intelligit axioma illud *exclusive* de faciente pe *vires gratiae* quod est in se, eam rejicimus. — Etenim 1.^{o}, ut patet ex 1.^{a} proposit., juxta primariam acceptionem, qua potissimum a veteribus theologis usurpatum est illud effatum, intelligendum ipsum est primario de faciente quod in se est *per vires naturae*. — 2^{o}. quia praecipua istius sententiae, quam impugnamus; ratio; quod nempe

in ea expositione perfecte defenditur gratuitas gratiae, et secure cavetur periculum *semipelagianismi*, nulla prorsus est, ut constat ex prop. 6.ª et 7.ª Et sane illi iidem theologi, qui ad *gratuitatem* gratiae defendendam, et *semipelagianismi* periculum cavendum asserunt: « axioma hoc intelligendum esse tantum de faciente per *vires gratiae*, quod est in se », asserunt etiam: « posse hominem *solis naturae viribus* se disponere ad gratiam *negative*. » Cf. Wirceb. de Grat nn. 290. 287. Illa ergo negativa dispositio ad gratiam, quae habetur per hominem facientem quod in se est viribus naturae, neque gratiae *gratuitati* obest, neque ullum continet *semipelagianismi* periculum. — 3°. Nam gratia data infideli ante fidei propositionem, et ante interiorem illustrationem et inspirationem Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haud quidem apparet quomodo esse possit gratia *intrinsece ordinis supernaturalis*. Nam ante fidem adaequate sumptam, sumptam nempe non solum pro actu formali fidei, verum etiam pro omnibus illis actibus ad fidem praeviis, et qui fidei *initium* et *praeparationem* constituunt, nulla datur ex lege ordinaria in infideli illustratio et inspiratio nisi de objecto simpliciter honesto, et de fine naturali, id est gratia *intrinsece ordinis naturalis*. Gratia vero *intrinsece ordinis supernaturalis* illustratio et inspiratio est de objecto aliquo modo ad salutem h. e. ad supernaturalem beatitudinem pertinente, quae nonnisi *ex fide* apprehenditur. « Hanc, inquit Augustinus, apostolica doctrina gratiam isto nomine appella, qua *salvamur* et *justificamur ex fide* ». Epist. 177. ad Inuoc. n. 8., Migne T. 33. c. 768. Quare ante prpositionem factam fidei, difficilis prorsus videtur in infideli illustratio et inspiratio supernaturalis alicujus objecti, quae gratiam constituit intrinsece ordinis supernaturalis, et quae tanquam positiva dispositio aut inchoatio ad fidem conducat.

33. Sententia Molinae, Cf. n. 9., vehementer oppugnatur a Salmanticensibus tr. 14. q. 109. D. 3. Dub. 7. 9., Didaco Alvarez lib. 6. de auxiliis disputat. 56., aliisque, qui eam potissimum insimulant semipelagiani erroris. Verum id falsissime asseritur. — Nam 1.° postquam Molina dixerit: « Quotiescumque liberum arbitrium *ex suis viribus naturalibus* conatur, praestove est ad conandum totum id, quod ex sese potest, tam circa ea, quae fides habet, addiscenda et amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ac justificationem, a Deo conferri *gratiam praevenientem*, auxiliave, quibus id faciat ut oportet ad salutem »: Statim addit: « non quidem quasi eo conatu *dignus* efficiatur talibus auxiliis, *ullaque ratione ea promereatur*; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita ». Si igitur ille conatus *nulla ratione dignitatem* et *meritum* in se habet illius gratiae conferendae, omnis profecto semipelagianismi suspicio aperte excluditur. — 2.° postquam affirmavit, quod « id obtinuit nobis Christus ob sua merita », pergit et ait: « atque inter leges, quas tam ipse, quam Pater aeternus statuerunt de auxiliis et donis, quae nobis Christus promeruit, *mere gratis conferendis*, una eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus conaremur facere, quod in nobis est, praesto nobis essent auxilia gratiae, quibus ea, ut oportet ad salutem, efficeremus ». Ista ergo *auxilia gratiae*, quae nobis praesto sunt, quoties ex *nostris viribus naturalibus conamur facere quod in nobis est*, auxilia gratiae sunt *mere gratis conferenda*. Atqui si *mere gratis* ista auxilia conferuntur nullum in illo conatu est meritum, nulla positiva dispositio ad gratiam. — 3°. Non obstat quod dicat: « id obtinuisse nobis Christum ob sua merita » nam hinc sequitur dumtaxat collationem illius gratiae praevenientis, excitantis et vocantis debitam esse Christo, minime vero debitam esse ipsi homini vocato et excitato. — 4.° « Nec obstat, quod Molina dicat, esse infallibilem legem de gratiae auxilio conferendo; quia id omnes Doctores tacite vel expresse insinuant. Tacite dum dicunt, tali gratiam non denegari et semper dari: si semper datur, ergo apud Deum est decretum aeternum, cujus vi semper datur. Decretum autem de aliquo

semper faciendo, est lex infallibilis, quia est regula actionis. Expresse dum dicunt, *immutabiliter, immutabili ordinatione, infallibiliter* dari, ut Alexander, Albertus, Ruardus. Porro hoc decretum sancitum esse ob merita Christi, dubitari non potest; cum ex Scripturis constet, omne auxilium et donum supernaturale nobis ex Christi meritis donari; juxta illud Apostoli ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos, omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo.* » Lessius l. c. in append. n. 35. Cf. etiam quoad hanc legem, quam vehementer impetunt Salmanticenses l. c., Suaresium l. c. cap. 15. n. 2. et cap. 17. n. 9. — 5.° Objcitur, quod adstruat *conatum ex viribus naturalibus,* tam circa *fidem* quam circa *justificationem,* ait enim : « quotiescumque liberum arbitrium *ex suis viribus naturalibus conatur, praestove est ad conandum* totum id, quod *ex sese potest,* tam circa ea, quae *fides* habet addiscenda et amplectenda, quam circa *dolorem* de *peccatis* ac *justificationem,* a Deo conferri *gratiam praevenientem, auxiliave,* quibus id faciat *ut oportet ad salutem.* » Namque iste conatus naturalium virium et absque supernaturali gratia circa fidem et justificationem proscribitur a Conc. Araus. 2. can. 6. « Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium, nec, ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : *Quid habes, quod non accepisti?* et: *Gratia Dei sum id, quod sum.* » Verum neque ista objectio intentum evincit: Nam ille conatus liberi arbitrii circa fidem et justificationem non est reapse secundum Molinam sine supernaturali gratia. Etenim primo Molina non loquitur de infideli et peccatore, cui nondum supernaturalis fides et justitia est proposita, et qui naturali virtute absque gratia conetur credere, et justificari; sed loquitur de infideli et peccatore, cui jam fides et justificatio est sufficienter proposita. Cf. Concord. l. c. D 7. Praeterea ille liberi arbitrii *conatus* circa fidem et justificationem dupliciter intelligi potest: 1.° quod, proposita supernaturali fide et justitia, homo suis naturalibus viribus, eo quo potest modo, praevie consentiat evangelicae praedicationi et peccata detestetur; deinde vero praesto adsit gratia Dei, ut ex supernaturali gratia vel eliciat iterum vel perficiat illos actus, quos vel jam solis naturae viribus elicuit, vel elicere inchoavit: 2.° quod, proposita supernaturali fide et justitia, nihil praevie efficiat liberum arbitrium, sed ista propositione libero arbitrio proxime praeparato in actu primo ad operandum ex concursu rerum omnium, quae requiruntur ex parte causarum secundarum, ad executionem operationis, ita tamen ut desideretur concursus generalis, offerat et conferat Deus auxilium gratiae; et sic actus ille fidei aut doloris, qui solo generali concursu elicitus actus esset naturalis, a propria facultate elicitus per praevenientem et ajuvantem gratiam elevata, actus est supernaturalis, et sicut oportet ad salutem. — Jam vero ille liberi arbitrii conatus circa supernaturalem fidem et peccatorum detestationem non priori sed posteriori hoc modo intelligitur a Molina. Enimvero post verba paragr. 2.ª relata sic pergit Molina, explicans suam sententiam : « Quare sicut Deus semper praesto est per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit, aut nolit, prout placuerit: ita praesto illi est per auxilium gratiae sufficiens, ut quoties ex suis viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis, quae ad justificationem spectant, illud exequatur prout ad salutem oportet: saepe etiam liberum arbitrium quasi sopitum ac torpens excitat et pulsat, longeque majoribus auxiliis adjuvat. » Idem constat ex D. 11ª., in qua eandem tradit et explicat doctrinam, ait enim: « Quod si ea (i. e. evangelicam doctrinam propositam) sincere animo expendere vellent, ut tenentur,

utique gratia divina, interim dum docerentur, aque expenderent, *praevenirentur*, etiam *antiquam* ex suis naturalibus, eo modo quo possunt, conarentur elicere assensum ». Quod confirmatur etiam ex illa disjunctiva ex industria posita in textu objecto. D 10. « Quotiescumque liberum arbitrium ex sui viribus naturalibus *conatur, praestove est* ad conandum totum id, quod ex sese potest ». Siquidem iste conatus praevius ad gratiam non est operatio seu actus secundus, sed praeparatio actus primi ex parte causae secundae, cui Deus suo auxilio et gratia praesto est, ut ille conatus et actus qui cum solo generali Dei concursu actus esset naturalis, sit reapse actus supernaturalis, prout ad salutem oportet. Et hoc clarius adhuc asserit ipse Molina in illa D. 11ª.; statim enim ait post verba relata : « Cumque Deus sua scientia praevideat, quinam ex iis, qui audituri sunt Evangelium, conaturi sint ex suis naturalibus ad assensum eliciendum ut tenentur, et qui non ; sane ut a peccato non excusentur, qui assensum fidei supernaturalem non elicuerunt, satis est, Deum suo auxilio et gratia praesto esse ad praeveniendum in eodem instanti quoscumque praeviderit ex suis naturalibus ad assensum conaturos, ut ita, non quidem tempore, sed natura praeventi, talem eliciant fidei assensum, qualis necessarius est ad salutem. » Si ergo iste conatus prout est actus et operatio necessaria ad salutem ex Dei auxilio et gratia est, Molinae doctrina longissime abest ab errore semipelagiano. — Neque vero ullum esset semipelagianismi periculum, si ille conatus priori modo adstrueretur ; si nempe praevie ad actum fidei et doloris supernaturalis et sicut oportet ad salutem producatur reapse alius actus mere naturalis, minime idoneus ad salutem, quem circa idem objectum produci posse affirmat Molina in D. 7ª. Enimvero haec de *initio fidei*, in quo Semipelagiani errabant, clarissime docet Molina D. 9. « Ex dictis disputatione praecedente intelligetur facile, initium actus credendi, *ut ad salutem oportet*, esse a solo Deo per gratiam praevenientem et excitantem. Etenim liberum nostrum arbitrium, nisi a Deo, modo praecedente disputatione explicato, *auxilio suae gratiae praeveniatur* et *excitetur, non solum producere nequit eum actum, sed etiam quicquid ex solis* suis naturalibus *homo efficiat, sive ut actu mere naturali revelatis assentiatur*, sive ut, postquam edoctus fuerit supernaturalem assensum esse ad salutem necessarium, optet ita credere, aut etiam *conetur* ex dono et auxilio Dei supernaturali assentiri, sive denique auxilium illud sibi donari *petat*, aut ad illud recipiendum *satagat* se disponere, sane id totum nullius *est meriti aut vigoris, ut ei gratia praeveniens* propter ejus dispositiones impendatur ; sed quoties confertur, ex solis Christi meritis, donoque Dei, ac proinde misericorditer omnino, non solum tanquam subjecto non digno, sed etiam indigno propter peccatum, originale saltem, in quo est, tribuitur, et mere gratis ea, quae merito gratia dicitur, conferri solet, cuicumque datur ». Quaest. autem 23. art. 4. et 5. M. 4. Javelli opinionem improbans ait : « Alterum quod longe magis displicet est, quia asserit dispositiones, quae in adulto antecedunt primam gratiam, omnes esse mere naturales, nec ullam vel auxilio Dei supernaturali adjuvari, vel transcendere limites actuum mere naturalium. Quod tamen ex iis quae art. 13. citato dicta sunt, satis. ut credo, constat fidei Catholicae repugnare ». Jam vero Semipelagianorum error non in eo fuit, quod admiserint ante fidem opera naturalia honesta vel generatim circa objecta simpliciter honesta, vel etiam speciatim circa ipsa objecta fidei, sed in eo quod ista opera naturalia constituerint *inchoationem* quandam, *positivam* quandam *dispositionem, impetrationem* et *meritum* saltem *de congruo*, cui Deus gratiam *subjungat ;* et ita illi actus vere sint *sicut oportet, sicut expedit ad salutem*. Relato testimonio Apostoli, *quid habes quod non accepisti*, ita Semipelagianorum errorem paucis describit Augustinus, qui et se aliquando illum tenuisse fatetur. Ait enim : « Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum cre-

dimus non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, *et per illam nos impetrare Dei dona,* quibus et temperanter, et juste et pie vivamus in hoc saeculo » de Praed. Sanctor. cap. 3. n. 7., Migne T. 44. c. 964. Juxta Semipelagianos ergo fides *salutaris* libero arbitrio *inchoatur,* gratia vero *perficitur,* et sic fidei sicut oportet ad salutem *initium* est ex nobis, *augmentum* ex gratia ; cujus augmenti meritum est illud initium. Cf. Augustin. l. c. cap. 2. nn. 3. 4. Ergo.

34. De sententia Ripaldae, Cf. n. 10. Tria sunt, quae a Ripalda asseruntur. 1.^m est, ad justificationem sufficere fidem *late* dictam. 2.^m est, actus bonos supernaturales ante fidem proprie dictam, ortos ex cognitione supernaturali Dei per creaturas vel moralis honestatis, disponere ad justificationem. 3.^m tandem est, simul cum actibus naturalibus honestis elici actus etiam supernaturali Dei gratia, facultatem elevante. — Prima assertio difficilem et duram continet doctrinam, quae hodie non videtur posse amplius cum aliqua probabilitate defendi Quod uti melius et magis accurate explicetur sequentem statuimus propositionem : Fides stricta et formalis est simpliciter necessaria ad salutem. — Declar. Thes. Fides *stricta* est fides innixa auctoritate Dei revelantis ; contradistinquitur a fide *lata,* quae reapse nihil aliud est quam notitia Dei ex creaturis habita. *Formalis* h. e. actu elicita, ita ut excludatur actus solum *in voto. Simpliciter necessaria* h. e. necessarium *medium* est ad justificationem obtinendam ; ita ut nulla unquam admittenda sit exceptio. *Ad salutem,* h. e. ad primam simpliciter adulti justificationem. Haec enim fides stricta praehabita jam, et virtualiter perseverans, satis est ad justificationem iterum obtinendam. — Determinatur status controversiae : 1.° Quaestio non est, an fides habitualis et supernaturalis sit simpliciter necessaria ad salutem. Certum est, neminem salvari, nisi prius in vita habitum fidei infusae obtinuerit. Cf. Conc. Trid. S. 6. c. 7. 2. Neque quaestio est, an fides late dicta, si mere naturalis sit, sufficiat ad justificationem. 3.° Quaestio igitur est, an absque fide supernaturali et actuali, quae habet pro motivo veram et propriam revelationem Dei, aliquis adultus de facto justificetur. — Prob. Thes. Fides, de qua loquitur Apost. ad Hebr. 11. nequit 1.° intelligi de fide tantum *habituali ;* quia Apost. expresse agit de *actu* credendi, quando ait.: « accedentem ad Deum oportet *credere* ». Credere enim actum significat. Deinde non loquitur de fide solum *in voto,* quia si haec sufficeret, non bene argueret Paulus, Henoch habuisse fidem ex eo quod placuit Deo ; potuisset enim placere sine fide, solum cum voto habendi illam. Praeterea Apostolus l. c. fidei, quam antea dixerat ad salutem necessariam, exempla proferens, non alia recitat quam quae fidem actu reipsa elicitam demonstrant. Tandem de aliis, quae sufficiunt in voto, id colligitur ex eadem Scriptura, alibi quidem promittente salutem contritioni aut voto baptismi ; nunquam vero id invenitur de voto fidei. 2.° Fides, de qua loquitur Apost. est fides *simpliciter necessaria* : nam Apost. aperte ait absoluta affirmatione : « sine fide impossibile est, etc. » Omnes igitur comprehendit. Praeterea ex hac absoluta affirmatione colligit Paulus, Henoch, qui Deo placuit, habuise fidem, et sic de aliis singularibus ; quae collectio nòn esset firma, si aliquem particularem hominem ab illa regula liceret excipere. 3°. Est fides stricta ; nam est fides quae *credit,* quae credit Deo *proprie loquenti,* quae credit Deum *remuneratorem supernaturalem,* quem naturales creaturae ostendere nequeunt; quae commendatur *ex operibus Patrum* a mundi exordio usque ad David ac prophetas; quae tandem est *sperandarum substantia rerum,* argumentum *non apparentium,* praesertim visionis beatae, ad quam nulla cognitio ex creaturis habita assurgere potest. Cf. totum contextum illius capitis. Ergo. — Conc. Trid. S. 6. cc. 6. 7. loquitur 1.° de fide *actuali, formali :* nam loquitur de fide, quae est *in adultis dispositio* ad justificationem, quae certe *dispositio* non est fides mere habitualis, nam habitus fidei non est dispositio ad seipsum ; loquitur praeterea de fide, qua homo *li-*

bere movetur in Deum; de fide quae est *initium fundamentum* et *radix* omnis justificationis, quin eandem *promereatur*, quae fides maxime actualis est. Neque vero est fides actualis tantum *in voto*, nam imprimis Concilium loquitur de fide secundum sui propriam naturam, fides in voto non est fides, sed est alius actus habens habitudinem ad ipsam; et mirum esset, quod Conc. explicans modum praeparationis ad justificationem in adultis omisisset actum hunc maxime necessarium. Insuper *fundamentum* oportet in reipsa poni, ut reliqua valeant in ipso fundari. Item non bene diceretur fides *principium* omnis salutis et justitiae, si sufficeret voluntas habendi illam, illa enim voluntas esset fundamentum salutis. 2°. Loquitur Conc de fide *simpliciter necessaria*; nam eam recenset tanquam primam dispositionem, de ea ait, quod est *initium*, *fundamentum* et *radix* omnis justificationis; sine initio autem impossibile est progredi, sine fundamento non potest aedificari, et sine radice fructificari. De eadem affert textum Apostoli ad Hebr. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*, etc. Tandem Can. 3. definit, fidem, quae sine Spir. S. auxilio haberi non potest, esse necessariam ad justificationem; quae est generalis regula, in qua nulla potest admitti exceptio, alias non fuisset sufficiens illa definitio, ut Concilium intendit contra Pelagianos. 3°. Loquitur Conc. *de fide stricta*, nam loquitur de fide, qua homo *libere* movetur in Deum, *credens* vera esse quae divinitus *revelata* et *promissa* sunt. Atqui notitia illa, qua ex creaturis cognoscitur Deus earum auctor, non est libera, sed necessaria, cum sit evidens; neque habet pro objecto divinam revelationem. Insuper loquitur Conc. de fide protestata in baptismo et per eumdem infusa. Atqui haec fides est fides stricta. Ergo. — Idem argumentum instaurari potest ex Conc. Vat. cap. 3. de F., unde initio desumpta est dubitandi ratio, n. 1. Etenim Concilium docet: « fidem, *quae humanae salutis initium est* », et sine qua, « *nemini unquam* contigit justificatio, » illam esse fidem, « qua Dei adspirante et adjuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus, *non propter intrinsecam rerum veritatem*, naturali rationis lumine perspectam, *sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis*. Ergo fides, ad salutem et ad justificationem absolute necessaria, est fides non *late* et improprie, sed *stricte* et proprie talis Innocentius XI. hanc damnavit propositionem ordine 23. « Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit ». Haec prop. damnatur ob motivum fidei in ipsa assertum, non quia non explicat; an ea fides naturalis sit. Hoc constat 1.° ex sensu obvio prop., 2°. ex communi interpretatione theologorum, 3.° secus, non haec, sed alia omnino prop. fuisset damnata, i. e. fides ex viribus naturae concepta ad justificationem sufficit. 4.° Prop. ut jacet fuisset simpliciter vera. Atqui S. Pont. damnat in suo Decreto omnes illas propositiones, et « unamquamque ipsarum, sicut jacent. » 5.° Prop. damnata est in eo sensu, quo tunc in utramque partem a catholicis doctoribus disputabatur; Cf. Decret. Alex. VII. Atqui non disputabatur de naturalitate vel supernaturalitate actus, sed de motivo actus. Atqui, si fides lata non *sufficit* ad justificationem, fides stricta est ad eam simpliciter necessaria, eaque actus reipsa elicitus esse debet. — PP. loquentes de fide ad adultorum justificationem requisita aiunt: eam esse *libere* conceptam; non humanis rationibus innixam, sed *divinae credentem auctoritati*; eamque aiunt esse januam ad vitam, et sine ea nullam posse esse conversionem, et neminem ad filiorum numerum posse pervenire. Cf. Salmanticenses D. 6. dub. 1. parag. 2. Ergo. — Confirmatur ex communissima theologorum auctoritate. Audiatur hac in re ipse Ripalda de Fide D. 17. S. 13. n. 213. « Puto quidem, si legem, et libitum Dei excludamus, ex natura rei in presenti etiam ordine Providentiae potuisse Gentiles ex cognitione supernaturali, quae non sit ex Fide stricta, Deum super omnia diligere, et justificationem obtinere. Caeterum quia communis Theologorum assensus videtur intelligere testimonium illud Pauli ad Heb. 11. *Sine*

fide impossibile est placere Deo, et Trid. sess. 6. cap. 3. *Sine fide nulli unquam justificationem contigisse*, de necessitate strictae fidei in re exhibitae ad consequendam justificationem, *dicendum est* ex lege voluntaria Dei, nunquam dari auxilium saltem efficax ad dilectionem supernaturalem in Deum absque praevia instructione fidei strictae. » Et infra addit, omnia, quae pro illa fide *late* dicta proposuerat, solum disputandi gratia et dubitando non assertive proposuisse, cum non liceat temere refragari communi sensui theologorum negantium fidem istam *late* acceptam ad justificationem sufficere. Cf. etiam de E. S. L. l. D. 20. n. 123. Ceterum illa tradet at Ripalda et ante definitiones Conc. Vatican. et ante damnatam propositionem 23. ab Innoc. XI.

35. Altera Ripaldae propositio haud quidem videtur nobis satis congrua et rationi et auctoritati. — Etenim 1°. ut jam observavimus, nulla datur ante fidem, fideique propositionem gratia *intrinsece* ordinis supernaturalis, *entitative* supernaturalis, cum non possit concipi *illustratio* intellectus, et *inspiratio* voluntatis circa objectum *salutare*, pertinens nempe ad vitam aeternam seu supernaturalem beatudinem. Ante fidem ergo ejusque propositionem omnis gratia, id est omnis intellectus illustratio et voluntatis affectio divinitus immissa ad honeste operandum *intrinsece* ordinis naturalis, seu *entitative* naturalis est. Ad justificationem ergo *intrinsece* ordinis supernaturalis, seu *entitative* supernaturalem, nequit ullo pacto positive disponere quivis actus honestus, ante fidem factus, adeoque minime ex fide procedens; nulla enim datur in ordine naturali respectu supernaturalis ordinis exigentia. — 2 . « Contraria sententia communis est omnium fere Theologorum, qui docent, ante fidem nullum dari meritum ipsius fidei, et in hoc sensu fidem esse initium, et fundamentum nostrae justificationis. Videatur Suarez lib. 1. de Grat. cap. 17. et lib. 1 de praedestinatione. cap. 16 num. 24., et videtur esse omnino de mente Augustini, qui semper reducit primam Dei gratiam in illud auxilium, quod datur ad credendum; quod quia non datur ex meritis, ideo dicit primam gratiam non esse ex meritis. » De Lugo de virtute Fidei. D. 12 S. 2. n. 14. Et sane, praeter ea quae jam relata sunt in par. 4.ª prop. 6.ª, plura quidem addi possent ex eodem S. Doctore, quibus Augustinus ante fidem excludit omnem positivam dispositionem ad gratiam. Et sic in libro de divers. quaestionibus 83. q. 76., Migne T. 40 c. 89. « de eo quod Apost. Jacobus dicit: Vis autem scire, o homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est », sic quaestionem concludit: « Quapropter non sunt sibi contrariae duorum apostolorum sententiae, Pauli et Jacobi, cum dixit unus justificari hominem per fidem sine operibus, et alius dicit inanem esse fidem sine operibus; quia ille dicit de operibus, quae fidem praecedunt, iste de iis quae fidem sequuntur. » His respondent quae habentur in enarr. 2. ad Ps. 31. n. 4., Migne T. 36. c. 259 de operibus ante fidem factis; asserit enim ea, licet laudabilia, *inania* esse, eaque comparat *cursui praeter viam*. « Ea, inquit, ipsa opera quae dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnae vires et cursus celerrimus praeter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit ». — 3°. tandem non ideo facilior est explicatio divinae providentiae quoad infidelium salutem, si asseratur Deum omnibus et singulis infidelibus dare gratias *entitative* supernaturales, quibus naturae legem observent, ut ad fidem ac justificationem disponantur. Id bene observat Lugo de Fide D. 12. S. 3. n. 48.; « Arguit Ripalda, D. 20. S. 22. n. 113. seqq., quia nisi id concedatur, *difficile* defenditur, quomodo Deus omnibus infidelibus provideat media sufficientia ad iustificationem et salutem,... Nec video, si res attente consideretur, quomodo ponendo actus illos supernaturales, et dispositionem ad justificationem ante fidem *facilior* reddatur salus et iustificatio eorum, qui fidem non habent. Nam imprimis,

quod actus aliarum virtutum in ea sententia *directe disponant*, et ut *merita congrua*, quia supernaturales sunt; in nostra vero sententia solum *disponant indirecte, removendo prohibens*, ut homo illuminetur circa fidem, parum refert; cum merita congrua non habeant magis infallibiliter suum effectum, quam dispositiones indirectae: unde ex eo capite non plures pervenient ad salutem vel ad justificationem propter merita illa supernaturalia, quam si fuissent actus naturales disponentes indirecte ».

36. Gradum nunc facimus ad tertiam assertionem Ripaldae. In hac assertione duo distingui possunt, unum accessorium aliud principale. Primum est, quod omnem actum naturalem honestum comitetur actus alius supernaturalis, qui cum ipso semper eliciatur. Alterum est quod in praesenti rerum providentia nullus sit actus moraliter bonus, qui non sit *intrinsece* supernaturalis. — Jam si controversia fiat de primo illo accessorio, nullo nobis fundamento niti videtur. Nam duplex ille actus circa unum idemque obiectum, nobis propositum, conscientiâ nobis non renunciatur, et multo minus eâdem consientia nobis manifestatur actus unus *naturalis*, alter vero *supernaturalis*. Insuper ille actus *naturalis* nullum habet influxum causae et dispositionis respectu concomitantis actus *supernaturalis*, cujus supernaturalitas ex Ripalda tota quanta est non ex objecto sed ex solo principio supernaturali est. Nullam ergo actus ille naturalis respectu actus supernaturalis, qui ipsum comitatur, essendi necessitatem habet. Praeterea, si supernaturale hoc principium praesto est facultati operanti, et idem est objectum actus naturalis et supernaturalis, facultas supernaturaliter elevata non suis tantum viribus, sed viribus simul agit supernaturalis principii auxiliantis; quare pronum est ut statim unum supernaturalem actum eliciat. — Hinc si non sunt fingendae hypotheses absque ratione, neque entia multiplicanda absque necessitate, melius, ut nobis videtur, diceretur nonnisi unum elici actum, eumque supernaturalem; propterea quod a facultate supernataraliter elevata elicitur.

37. Si quaestio fiat de eo quod in ea assertione principale est, affirmamus dari reapse aliquod opus moraliter bonum absque ulla gratia *intrinsece* ordinis supernalis; adeoque non omne opus honestum esse etiam supernaturale. — Prob. 1° Ex SS I. ex epistol. ad Rom. cc. 1 et 2. *Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles, Quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.. Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscentia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus...* — Etenim primo gentilium opera, quae Apostolus commemorat sunt simpliciter honesta seu moraliter bona. — Secundo ea opera sunt sine ulla proprii nominis gratia facta. — Ergo; — Anteced. quoad primam part. probatur ex eo quod Apostolus 2. 14. - 15. ea opera exhibet, tamquam foris ostendentia legem intus in cordibus scriptam; continentia in se testimonium seu approbationem conscientiae; quae eos commendabat et laetificabat cum bonum aliquod egissent quemadmodum eoscem arguebat et torquebat, cum aliquid mali fecissent. Apostolus insuper absque ulla restrictione et limitatione inquit, *gentes facere ea quae* legis sunt, quae generalis assertio non videtur quomodo vera esse possit, si ea opera aut ex objecto aut ex fine, aut ex alia circumstantia vitiosa fuissent. — Probatur altera pars illius antecedentis. Nam juxta expositionem, quam Pereira, D. 9. in c. 2. ad Rom., dicit esse *simpliciorem, planiorem et sententiae verborum Pauli magis inhaerentem et congruentem*, Paulus loquitur de gentibus infidelibus,

de iisque ait, quod « *naturaliter* ea quae legis sunt faciunt. » Porro *naturaliter* facere non est *ex gratia* facere *intrinsece* supernaturali, sed *natura sola adjuvante* facere, quod proprie convenit gentibus legis dumtaxat naturae doctrina instructis. Insuper Apostolus legi scriptae, quam ait gentes illas non habere, « ejusmodi legem non habentes, » non opponit aliud adjutorium ab extrinseco adveniens et naturali facultati superadditum, sed opponit quid omnino intrinsecum, ipsam naturalem facultatem, ipsam naturam, ait enim: « ipsi sibi sunt lex. » Praeterea Apostolus asserit, quod gentes illae, quae « naturaliter ea quae legis sunt faciunt, » *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, et referunt suis operibus *testimonium conscientiae;* ostendere autem *legem naturaliter insitam* non est certe *gratiam* ostendere, testimonium item conscientiae referre idem sane non est, ac referrre internam quandam et supernaturalem Spiritus Sancti illustrationem et inspirationem. Principium ergo operativum in ipsis nonnisi naturale erat. Et confirmatur ex oppositione eorum gentilium, qui ea quae legis sunt non fecerunt. Nam, cum de istis Paulus c. praecedenti disserens, medium mere naturale adsignasset cognitionis Dei, naturalem nempe evidentiam discursus ex creaturis v. 20., immediate inde concludit, eos inexcusabiles prorsus esse, quod Deum non glorificaverint. Haec Apostoli conclusio, ut legitima sit, aperte supponere debet illud medium mere naturale dedisse illis potestatem sufficientem ad illam Deo laudem et gloriam exhibendam. Et hoc est quod ipse Apostolus explicite statim significat v. sequenti, *Quia cum cognovissent Deum,* (ea nempe naturali cognitione, de qua modo dixerat Paulus v 20.) *non sicut Deum glorificaverunt.* Neque vero Apostolus, ut patet, aliud ullum medium supernaturale illis a Deo datum significat, sed totam, quam habebant potestatem ad bene operandum, ad medium mere naturale revocat. Ergo illi ethnici, qui ex Paulo ea quae legis sunt faciunt, id naturali illa potestate et medio praestant, *naturaliter faciunt.* - II. Act. 14. 14. et seqq. *Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit caelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt: Qui in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de caelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.* Unde sic arguitur: Paulus asserit hic loci, quod quamvis Deus in praeteritis generationibus dimiserit omnes gentes ingredi vias suas, eas tamen non sine *testimonio* sui reliquit, quo gentes illae sufficienter excitatae et illustratae potuissent non ingredi vias suas peccando contra naturalem legem. Atqui hoc testimonium,quod Paulus affirmat, dedisse illis sufficientiam non peccandi si voluissent a peccatis abstinere, est testimonium mere naturale; illud enim reponit in naturali discursu, quo ex Dei beneficiis naturalibus poterant excitari ad suam subiectionem et reverentiam Deo exhibendam, nullaque ibi mentio habetur *illuminationis* et *inspirationis* a Spiritu Sancto in eorum mentes infusae; ait enim Apostolus « Et quidem-corda nostra » v. 16. Ergo si illae gentes de facto non ingressae fuissent vias suas, absque speciali gratiae auxilio id initio saltem praestissent, eisque Deus deinde et specialia supernaturalis gratiae auxilia pro data occasione dedisset. — Prob. 2° ex PP. I. ex eorum expositione loci citati ep. ad Rom., unde et praecedens argumentum confirmatur. — Origines haec habet. « Quantum ego capere possum loquitur hoc loco Paulus de Gentibus nondum credentibus, Gentilis enim legem non habens ipse sibi est lex, ostendens opus in corde suo, *et naturali ratione doctus et persuasus* multa facit convenienter rectae rationi et virtuti, » ap. Pereira l. c. Cf. Migne T. 14 c. 888. Iste ergo gentilis non supernaturali Spiritus Sancti *illuminatione* et *inspiratione*, sed *naturali ratione* doctus et persuasus bene moraliter agit. — Chrysosto-

mus Pauli locum exponens ait: « Propterea admiratione digni sunt (gentiles), quod lege illis opus non fuit, et omnia quae legis erant praestiterunt, (alii nempe alia, non singuli omnia), et suis ipsorum mentibus bona opera non libris inscripserunt. Per haec item ostendit Paulus, Deum *ita finxisse* hominem, ut possit *per se* virtutem eligere ac vitiam declinare. » Jam vero non apparet, quomodo revera admiratione fuerint digni quod ea quae legis sunt praestiterint, si defectus legis scriptae per supernaturalem gratiam supplebatur, et non ipsi *per se* i. e. per suas naturales vires bene fuerint operati. Neque apparet, quomodo ostendat Paulus Deum *ita finxisse hominem*, ut possit *per se* virtutem eligere ac vitium declinare, si nonnisi supernaturali gratia opitulante, gentiles omnia quae legis erant praestiterunt. Pergens autem Chrysostomus statim inquit: « Paulus ostendit, quod etiam antiquitus ante legem Mosis humanum genus *omnimodam providentiam Dei habuit* », et hanc subjungit rationem: « Etenim quod de Deo cognosci *naturali ratione* potest Deus illis manifestavit, » etc. Ergo et hujus naturalis rationis ductu Deum aliquo modo glorificare poterant, ap. Pereira l. c Cf. Migne T. 60. c. 428. 429. - Aug in l. de sp. et lit. c. 27. 28., Migne T. 44. c. 229. et seqq. postquam disputasset, verba Pauli ad Rom. c. 2. v. 14. intelligi oportere de gentibus ad Christum conversis, eo quod verebatur, ne ille locus Apostoli Pelagio faveret, in aliam inclinat etiam sententiam, et ait: « Verumtamen, quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere; si hoc inquam est quod disputat Apostolus, quod *gentes, quae legem non habent naturaliter quae legis sunt faciunt*, et quia hujusmodi homines *ipsi sibi sunt lex*, et *scriptum opus legis habent in cordibus suis*, i. e non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat a vetere testamentum novum... *Nam* et ipsi *homines* erant et *vis* illa *naturae* inerat eis, qua *legitimum* aliquid anima rationalis et sentit et facit. » Concedit ergo Augustinus, *a Christi gratia alienas gentes naturaliter facere quae legis sunt*, ob hanc *praecise* rationem, quia non omnino in ipsis *deleta est rationalis natura*. Et sane quod in illis nullam proprii nominis gratiam agnoscebat Augustinus ostendit vel ipsa difficultas, qua Augustinus concedit in illis ethnicis ea bona opera. — Haec autem, subdit inferius Aug. « quantulacumque fuerint legis opera *naturaliter insita*, non invenirentur in eis, qui legem non acceperunt *nisi ex reliquiis* imaginis Dei, quam non contemnit Deus,, etc. » Ergo. — II. Idem Aug. ep 144. n. 2., Migne T. 33. c. 591. laudat quidem tanquam honestam Polemonis continentiam, eam tamen *Deo creatori* et *perfectori naturae* adscribit, eamque asserit valere quidem ad praesentis vitae honestatem, minime vero ad futurae vitae immortalitatem. Illa ergo Polemonis continentia ex Dei gratia entitative supernaturali non erat. Laudat item Augustinus ep 138. cap. 3. n. 17., Migne T. 33. c. 533. civiles Romanorum virtutes, easque tamen opponit virtutibus ex vera religione profectis, et in aeternam felicitatem perducentibus. Sentit ergo Augustinus, illas virtutes mere naturales fuisse, quae ut in aeternum civitatem non ducebant, ita ex nulla gratia entitative supernaturali proficiscebantur. — Triplicem distinguit Augustinus charitatem, serm. 349., Migne T. 39. c. 1529. et seqq. charitatem nempe divinam, humanam licitam, et humanam illicitam: charitas divina *nos perducit ad* regnum; charitas vero humana licita, haud quidem reprehenditur; conceditur, consociatur etiam cum divina charitate. Laudat Augustinus humanam istam charitatem. Verum etsi licita sit, quia temen *saeculariter* exhibetur, in eaque non diligitur Christus, ad vitam aeternam assequendam inutilis est. Ista ergo charitas, ut mere humana est, ita neque a gratia est entitative super-

naturali. — Tandem Aug- l. 1. de peccator. mer. cap. 22., Migne T. 44. c. 126. 127. ait, ex perfectione naturae et ingenii fieri, ut aliqui mitiores quasdam concupiscentias possint superare. Et auctor l. de vocat. gent. l. 1. c. 7. Migne T. 51. c. 655. ait, aliquos infideles *naturali intellectu* fuisse conatos reluctare vitiis, quin tamen ad veras virtutes aeternamque beatitudinem profecerint. Idem auctor l. 2. cap. 17., Migne l. c. c. 704. generalem infidelium gratiam commendans diserte docet eam a Christi Salvatoris gratia, quae nempe Christi cognis tionem et fidem involvit, esse distinguendam. « In extremis mundi parr tibus, inquit, sunt aliquae nationes, quibus nondum gratia Salvatorit illuxit, etc. quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quae desupe-omnibus semper hominibus est praebita non negatur. » Eodem pertineista sequentis capitis inscriptio: « Prioribus saeculis absconditam fuisse gentibus gratiam Christi, non tamen prophetis. » En gratiam Christi, tot gentibus ignotam. Docet nihilominus, aliam « gratiam semper universis esse impensam nationibus », atque idcirco eam appellat « generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulsantem. » Ipse etiam Augustinus, qui infidelium gratiam toties commendat, disertissimis verbis inquit: « Gratia per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est quorum est ipsa fides, » l. de gr. et lib. arb. cap. 13., Migne T. 44. c. 696. Et de hac eadem speciali gratia ait: « Pagani non habent gratiam Dei per Jesum Christum Dominum Nostrum » Sermon. 154. de verbis Apost. cap. 11., Migne T. 38. c. 839. Licet igitur gratia infidelibus data ante fidem sit *extrinsece* supernaturalis, quatenus *gratia sit a Christo* sive Christi meritis comparata, et a Deo ea intentione collata, ut isti infideles ad fidem et justificationem, ac ad aeternam vitam perveniant; *intrinsece* tamen illa gratia ordinis naturalis est, cum non sit *gratia Christi*, Christi nempe mediatoris cognitionem ac fidem involvens, adeoque supernaturalis beatitudinis, aut alterius objecti, quod ad illam pertineat, *illustrationem* et *affectionem* minime suppeditet, sed sistat intra limites naturalis honestatis. Cum autem illa gratia *intrinsece* ordinis supernaturalis gratia sit et dicatur *entitative* vel etiam *quoad substantiam* supernaturalis, gratia e contra *intrinsece* ordinis naturalis gratia sit et dicatur *entitative* naturalis et supernaturalis tantum *quoad modum*, hinc licet ante fidem admittamus gratiam supernaturalem *quoad modum*, negamus tamen gratiam *entitative* et *quoad substantiam* supernaturalem. — III. Confirm. Nam CC. et PP. in illis locis, ubi asserunt nihil fieri posse boni sine auxilio gratiae, haud quidem absolute id asserunt, sed illud cum nota illa limitatione pronuntiant, si videlicet opera illa *ad pietatem* et *salutem pertineant*, si fiant *prout expedit, sicut oportet*. Hac limitatione profecto non obscure significant, alia etiam dari opera, quae licet honesta sint, quia tamen ad pietatem non pertinent, neque indigent n que fiunt gratia intrinsece ordinis supernaturalis; sed vel viribus tantum naturae vel viribus etiam fiunt gratiae, at intrinsece ordinis naturalis. Idem etiam supponunt CC. et PP. cum affirmant, hominem non posse justificari per liberum arbitrium et naturae vigorem sine gratia. Si enim homo nullum posset efficere naturale opus honestum, et de facto illud nunquam efficeret, praedictae definitiones locum amplius non haberent. Idque explicite habetur ex prop. damn. Baji 22. 27. 28. 30. 34. 36. 37. 38., ex prop. damn. Quesnelli 38. 39. 40. 41. 42., ex prop. damn. Syn. Pistor. 24. Cf. Conc. Arausic. 2. can. 3.-8., Conc. Trid. S. 6. Can. 1. 3., Augustinum de gr. Christi cap. 26., de gr. et lib. arb. cap. 17., de praedest. Sanctor. cap. 2. Cf. S. Thomam 2. d. 28. q. 1. art. 4. in c. et ad 4., qq. dd. q. 24. de Veritate art. 14., Suaresium de Grat. ll. cc. 8. 15. 17. 18. 20. 21., De Lugo de F. D. 12. S. 2-, Lessium l. c. in append. n. 32., Molina Concord. q. 14. a. 13. D. 19. M. 6. ad 6., Ripalda Advers. Bajum D. 19., de E S. l. 1. D. 17. § 12., Struggl loc. sup. cit., Vega Opusc. de jnstificat. etc. quaest. 12.

VI. *Sententia S. Thomae, et S. Bonaventurae.*

38. Obiicitur contra *factum* assertum in prop. 1ª par. 4ª: Incerta omnino est illa affirmatio. Scholastici enim veteres illi doctrinae minime suffragantur. Cf. Salmant. T. 14. Disp. 3. Dub. 7. n. 194. Et sane, aliis nunc omissis, id certe constat de S. Thoma et S. Bonaventura. — S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 6. et q. 112. a. 3., in epist. ad Rom. ad caput 10. lect. 3., de Veritate q. 24. a. 15., 2. D. 28. q. 1. a. 4., axioma illud intelligit de faciente quod in se est per vires gratiae. — R. Cum illud axioma pluribus subsit acceptionibus, ut supra declaravimus, hinc S. Doctor pro occasione sibi oblata et materia, de qua tractabat, illud non una intelligit ratione. Et sic cum illud axioma usurpari possit etiam in ordine ad gratiam habitualem et pro praevia ad illam dispositione et merito, semper ac axioma illud explicandum assumit in tali vel simili sensu ipsum intelligit de faciente quod in se est per vires gratiae supernaturalis. Quare Angelicus Doctor in locis objectis neque loquitur *exclusive*, neque retractavit opinionem, quam aliis in locis aperte significavit de faciente per vires naturae quod in se est respectu primi supernaturalis ordinis auxilii ad fidem proxime sufficientis. Etenim quoad duo priora loca objecta ex S. Theol. tum eximius doctor, tum etiam Gregorius de Valentia ll. cc., aliique plures illa intelligunt de gratia sanctificante et habituali. — 1. 2. q. 109. art. 6 ipse S. Thomas quaestionis statum in hunc modum proponit: « Respondeo dicendum quod duplex est praeparatio voluntatis humanae ad bonum: una quidem, qua praeparatur ad bene operandum et ad Deo fruendum: et talis praeparatio voluntatis non potest fieri sine habituali gratiae dono, quod sit principium operis meritorii, ut dictum est art. praec. Alio modo potest intelligi praeparatio voluntatis humanae ad consequendum ipsum gratiae habitualis donum. » Quaestio ergo non est de eo quod homo facere debet in ordine ad primum supernaturale gratiae auxilium, ne per peccatum huic auxilio recipiendo impedimentum ponat et Deus juxte jam denegare possit, quod ultro daturum promisit, sed quaestio alia omnino est de habitualis nempe gratiae consecutione. Et sic iterum quaestio non est de mero impedimento et obice removendo, quo remoto, *certissime eredendum est* Deum daturum primum illud auxilium, quod ex sua vult donare liberalitate, sed quaestio est de *praeparatione* h. e. de positiva dispositione et merito ad illam gratiam a Deo obtinendam. Loquitur enim S. Doctor de ea *praeparatione*, qua quis ad Deum ultimum finem supernaturalem se convertit. Cum S. Doctor dixisset et probasset, quod ad *suscipiendum illud gratiae habitualis donum homo se praeparat auxilio gratuito Dei interius animam moventis sive ispirantis bonum propositum*, postea subjungit: « hoc autem est praeparare se ad gratiam quasi ad Deum converti », et haec ad Deum conversio, positiva est ad formam justificantem dispositio, et veram habet rationem meriti, licet de congruo, et hac de causa S. Doctor inquit *quasi* ad Deum *converti*; perfecta enim et consummata conversio habetur per illud donum gratiae habitualis, quae hominem ad Deum, cui cupiebat adhaerere formaliter convertit. Idque confirmatur ex respons. ad 1., ubi de supernaturali conversione ad Deum sermo est. — In alio loco objecto, id est in 1. 2. q. 112. a 3. S. Doctor duo tantum contendit. Primum est, opera hominis « secundum quod sunt a libero arbitrio nullam necessitatem habere ad gratiae consecutionem, *quia* donum gratiae *excedit* omnem praeparationem virtutis humanae. » Hic, ut patet, S. Doctor asserit duo, opera hominis, ut naturalia sunt, non inducere *necessitatem* gratiae; neque constituere *positivam dispositionem* ad gratiam. Neutrum aliquid continet contra doctrinam traditam, nam ad *positivam dispositionem* quod attinet, hanc aperte excludimus. Cf. prop. 6. n. 19. Neces-

sitas vero quam excludit S. Doctor est necessitas orta ex ipsa natura illorum operum naturalium, quatenus haec de se ad gratiam praeparent: hanc enim S. Doctor rationem dat illius necessitatis excludendae, « *quia donum gratiae excedit* omnem praeparationem virtutis humanae ». Nos autem cum eodem S. Doctore non affirmamus, nisi quod *certisime credendum* sit, Deum suam gratiam nullum ipsi obicem ponenti donaturum vi suae misericordiae, qua vult quantum in se est homines salvos fieri. — Alterum quod S. Doctor demonstrat est; opera hominis « secundum quod sunt a Deo movente (h. e. secundum quod ex gratia proficiscuntur) habere necessitatem ad id ad quod ordinantur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis. » Sed hoc quid contra traditam doctrinam contineat profecto non apparet. — Expositio autem verborum Glossae, quae refertur in 1ª. ob.ne « Deus recipit eum qui ad se confugit, aliter esset in eo iniquitas » nihil etiam negotii facessit. Respondet enim S. Doctor « quod glossa illa loquitur de illo, qui confugit ad Deum per actum *meritorium liberi arbitrii jam per gratiam informati*, quem si non reciperet esset contra justitiam quam ipse statuit. Vel si referatur *ad motum liberi arbitrii ante gratiam*, loquitur secundum quod *ipsum confugium* ad Deum est per motionem divinam, quam *justum* est non deficere. » Hinc autem arguunt adversarii et inquiunt: Porro, si S. Thomas existimasset illud principium usurpari *quoque* posse de faciente quod in se est *viribus naturae*, non negasset ullam esse necessitatem consecutionis gratiae, necessitatem nempe infallibilitatis, posita praeparatione ex libero arbitrio: sed dixisset infallibiliter consequi gratiam actualem. Jam vero aliud est quod hic S. Doctor *non dicat* facienti quod in se est ex viribus naturae Deum infallibiliter gratiam non denegaturum, aliud est quod *neget* Deum infallibiliter gratiam non denegaturum facienti quod in se est ex viribus naturae. Primum verum omnino est, alterum penitus falsum. Sane quaestio non erat de infallibili consecutione primi auxilli supernaturalis; quaestio erat de infallibili consecutione gratiae *habitualis*, ut colligitur tum ex hoc ipso articulo 3., tum etiam clarius ex articulo antecedenti: hic enim articulus 3us complet doctrinam art. secundi. Querit enim Ang. Doctor in art. 2º. « Utrum requiratur aliqua praeparatio et dispositio ad gratiam ex parte hominis », et statim in art. 3.º inquirit. « Utrum necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est. » Jam vero in secundo articulo S. Thomas statuebat hanc duplicem propositionem. 1º « Si loquamur de gratia ut dicit *habituale donum*, praeexigitur ad gratiam aliqua gratiae praeparatio ex parte hominis. » 2.º « Si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla praeparatio requiritur ex parte hominis, quasi *praeveniens* ipsum auxilium divinum. » Ex hac secunda propositione evidens res est, quod cum ulterius progrediens S. Doctor in art. 3.º quaerebat: « Utrum necessario detur gratia se praeparanti ad gratiam, vel facienti quod in se est, » quaestio movebatur in ordine ad gratiam habitualem; respectu cujus *solummodo* S. Doctor affirmavit *praeparationem* h. e. *positivam dispositionem*, ut aperte eruitur ex ratione, quam dat S. D. illius praeparationis, « quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita. » Objectio ergo in articulo 3.º primo loco proposita, ut esset ad rem procedebat non in ordine ad primum supernaturalis gratiae auxilium, sed in ordine ad gratiam habitualem; procedebat item illa objectio non in sensu facientis quod in se est utcumque, sed in sensu facientis quod in se est per modum positivae dispositionis et meriti: et hunc eundem sensum retinet S. Doctor in responsione, et ait quod si illa glossa referatur « ad motum liberi arbitrii ante gratiam (i. e. ante gratiam habitualem, de quo erat quaestio) loquitur secundum quod ipsum confuginm hominis ad Deum est per motionem divinam, quam *justum* est non deficere », qua phrasi *justum est*, aperte significat rationem positivae dispositionis in illo confugio ad Deum existentis, a Deo *ordinatae* ad gratiam sanctificantem.

Si nulla ergo erat quaestio de faciente quod in se est respectu primi gratiae auxilii, illum alium sensum quem non exprimit, quia non erat illi locus, eo ipso denegare certe non evincitur. — Lect. 3. in cap. 10. ad Rom. verissimum quidem est Ang. Doctorem, illud effatum intelligere de faciente quod in se est per vires gratiae. Nam aperte ait: « Hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum. » Verum S. Doctor hic etiam loci loquitur de faciente quod in se est in ordine ad gratiam habitualem, loquitur enim de supernaturali hominis conversione ad Deum, ut constat ex testimonio Hieremiae, quod statim addit: *Converte nos Domine et convertemur*. Quare neque hoc in loco quaestio attingitur de primo auxilio supernaturali, de quo tota est nostra disputatio. Et confirmatur ex verbis immediate antecedentibus: « Si qui tamen eorum (ad quos non pervenit fama praedicationis apostolicae) fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis praedicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio Act. 10. et Paulum Macedonibus, ut habetur Act. 16. » His enim verbis doctrinam S. Thomas confirmat, quam alibi tradidit in ordine ad primum auxilium supernaturale. Ne autem quis existimaret eo ipso, quod quis viribus fecerit quod in se est, jam sit positive praeparatus et dispositus ad gratiam sanctificantem, statim animadvertit hoc aliud, i. e. facere totum quod in se est, ita ut quis sit jam sufficienter dispositus et idoneus ad sanctificantem gratiam recipiendam, non esse sine ipsius gratiae auxilio. Et inde est quod orationem prosequens S. Doctor non dicit simpliciter: « Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est ex Deo est movente corda ipsorum », sed clare omnino suam mentem aperit, explicando quid sit illud aliud facere quod in se est, quo quis positive et proxime se disponit ad sanctificatem gratiam, et ad quod S. Doctor asserit necessariam esse supernaturalem Dei gratiam; nam ait: « Sed tamen hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, *convertendo se scilicet ad Deum* ex Deo est, etc. » Ergo, etc. — De Veritate quest. 24. a. 15. intelligit utique S. Doctor illud axioma de faciente quod in se est per liberum arbitrium non sine supernaturali divino auxilio: verum etiam hoc in loco loquitur S. Thomas de *gratia habituali*. Etenim inquirit S. Doctor in hoc articulo « Utrum homo sine gratia possit se ad gratiam praeparare » ipse autem S. Thomas in art. anteced. in corpore determinavit acceptionem illius vocis *gratiae*, inquit: enim « Communiter loquentes utuntur nomine gratiae pro aliquo dono habituali justificante ». Idque constat ex ipso corpore art. praesentis 15.; ibi enim aperte determinat in demonstratione suae primae conclusionis statum questionis, ait enim: « propter hoc ponitur praeparatio ad gratiam necessaria, ut ostendatur aliqualis ratio ex parte nostra, ex qua quibusdam datur *gratia gratum faciens*, quibusdam non. » 2. D 28. q. 1. a. 4. haec ad rem nostram habet Ang. Doctor: « non oportet ut actus quibus homo se ad gratiam habendam praeparat, sint, naturam humanam excedentes: sicut enim natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium se habent ut dispositiones materiales ad ipsam: Unde non exigitur ad hoc, ut homo ad gratiam se praeparet, aliquod aliud lumen gratiae praecedens... Nisi forte gratia gratis data dicatur naturale lumen rationis, nisi large accepta... Et ideo aliis consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest praeparare: Faciendo enim quod in se est, gratiam a Deo consequitur: Hoc autem solum in nobis est quod in potestate liberi arbitrii constitutum est. » In c. « Dicendum quod etiam ad fidem habendam aliquis se praeparare potest per id quod in naturali ratione est: Unde dicitur quod si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est faciat, Deus ipsi revelabit illud quod est necessarium ad salutem; vel inspirando, vel doctorem mittendo. » Ad 4. Haec quidem non solum nihil continent contra assertam interpretatio-

nem axiomatis, de quo tractamus; verum etiam illi tam aperte favent, ut nonnulli theologi nimium etiam favere et simipelagianum errorem continere existiment. Verum id falso omnino asseritur; non enim ea ex solo libero arbitrio ad gratiam *praeparatio* positiva est, sed negativa. Etenim ex S. Thoma itli naturales actus, quibus homo se praeparat ad gratiam sunt dispositiones naturales ad ipsam; quatenus nempe omne removeant a subjecto impedimentum gratiae, minime vero quatenus jus quoddam et exigentiam gratiae in eodem constituant; idque constat ex comparatione, quam Ang. Doctor adhibet ad explicandam suam mentem ait enim: « Sicut natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium se habent, ut dispositiones materiales ad ipsam. » Porro humana natura haud quidem se habet in potentia materiali *naturali* ad gratiam, sed tantummodo in potentia materiali *obedientiali*, quae nullam gratiae exigentiam affert. Ergo. Cf. Ripalda de E. S. l. 1. D. 18. S. 12., Herice l. c. Tr. 3. D. 26.

39. S. Bonaventura clare ait 2. D. 28. a. 2. q. l. quod si illud axioma intelligatur de faciente opus aliquod *naturale* omni destituitur veritate. — R. Quaestio, quam S. Bonaventura l. c. pertractat longe alia quaestio est ac nostra. Eodem enim modo ac S. Thomas quaestionem movet 1°. in ordine ad gratiam habitualem, 2°. de positiva dispositione in ordine ad eam gratiam, quam dispositionem S. Doctor in conclusione *dispositionem de congruo* appellat. Utrumque autem constat vel ex ipso statu controversiae quem ipsemet S. Bonaventura initio quaestionis constituit: « Utrum liberum arbitrium destitutum gratia gratis data (i. e. actuali) possit *ad gratiam gratum facientem sufficienter se disponere.* » Atque idem clarissime apparet etiam ex ipsa responsione S. Doctoris ex qua desumitur proposita difficultas. Pro parte enim affirmante propositae controversiae arguit S. D. 4°. loco ex eo quod « *sufficienter* se ad gratiam *disponit,* qui facit quod in se est. » Et huic argumento sic respondet: « Ad illud quod objicitur, quod *sufficienter se disponit,* qui facit quod in se est, dicendum quod facere quod in se est, potest dupliciter intelligi. Uno modo positive, quia facit aliquid *ordinatum* ad *gratiam,* et tantum facit quantum potest: et hoc modo veritatem habet sermo praedictus. Alio modo potest intelligi privative, ut dicatur facere, quod in se est, quia facit quod potest, quamvis illud *non* sit *ordinatum* ad *gratiae susceptionem* (hoc est opus tantum naturale): et *hoc modo liberum arbitrium gratia destitutum potest facere quod in se est:* et sic praedictus sermo non habet veritatem. » In qua responsione illud etiam notandum est, concedere S. Doctorem liberum arbitrium posse aliquid tantum naturale efficere, quamvis vero opus tale naturale non possit *positive disponere* ad gratiam sanctificantem, unde illud axioma sub hoc respectu *veritatem non habeat.* Cf. ib. q. 3. Loquitur praetera S. Bonaventura non de quacumque dispositione ad gratiam, sed de dispositione positiva, et meritoria. Unde quaestionem concludit hisce verbis: « Et sic patent quaesita. Patet etiam qualiter erraverit Pelagius, qui, libero arbitrio, non solum dicit habere potentiam *disponendi se* ad gratiam gratum facientem, sed etiam *merendi* eam propria virtute. Dupliciter enim mendax fuit: et in hoc, quod dixit primam gratiam sub merito cadere; et in hoc quod dixit etiam liberum arbitrium propriis viribus ad gratiam *posse se disponere.* » Notanda vero sunt, quae habet S. Bonaventura initio Resolutionis: faciunt enim ad nostram quaestionem, et ad doctrinam jam expositam. « Vocatur hic gratia gratis data, quidquid illud sit quod superadditum est naturalibus, adjuvans aliquo modo, et praeparans voluntatem ad habitum vel usum gratiae (sanctificantis), sive illud gratis datum sit habitus, sicut timor servilis vel pietas, *aliquorum visceribus inserta ab infantia,* sive sit etiam aliquis actus, sicut aliqua vocatio, vel locutio, qua Deus excitat animam hominis, qua se praeparet. Sine hac quidem gratia gratis data vix aut nunquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur. »

VII. *Driedonis sententia.*

40. Joannes Driedo in Tractatu de Captivitate et Redemptione generis humani sic disserit: « Quod dicimus hominem facere quantum in se est, potest trifariam intelligi. Uno quidem modo *facere quantum in se est*, est facere quantum ipsa natura potest ex se, id est *ex sui solius viribus a Conditore naturae insitis, non peculiariter attractis a Deo Patre*, veluti aedificare domos, plantare vineas, diligere benefactores, honorare parentes, non furtum facere, non mentiri, non falsum testimonium dicere. Et sic faciens, quod in se est, neque *meretur* gratiam, nec ad acquirendam gratiam *se praeparat*, quia ad habendam gratiam praeparatur voluntas a Domino. Secundo *facere quantum in se est*, est pro tempore et loco facere quantum ipsa natura absque habituali gratiae dono potest facere ex rationalibus viribus, *peculiariter a Deo Patre ad initia fidei attractis*. Et sic facienti quantum in se est Deus largitur initium fidei, ex qua etiam valeat orare, invocare, quaerere, implorare Dei misericordiam. Et hic iam est primus rationalis animae tractus, qui est ponendus, non tanquam generalis Dei influxus, omnibus semper hominibus secundum conditionem humanae naturae, iam post lapsum Adae debitus, quemadmodum ratiocinari, aut benefactores diligere, quod et iuxta Salvatoris doctrinam ethnici faciunt; sed est *peculiaris et gratuitus tractus*, ante quem rationalis animus neque orare potest, ut trahatur, neque desiderare gratiam, qua iustus efficiatur. Hunc tractum etiamsi Deus ad salvandum hominem non daret, non iniuste ageret erga hominem miserum, iam damnationis mortis obnoxium, et omni salutis auxilio indignum. Tertio modo *facere quantum in se est*, est facere quantum natura, *adjuta fide, desuper data*, potest facere *pro remissione peccati*, aut *pro perseverantia gratiae*, impetranda; et sic Deus facienti quantum in se est, dat gratiam: verum sic facere quantum in se est, non potest quisquam absque auxilio habitualis gratiae. Pro gratia etenim desuper impetranda nemo facit quicquam, nisi ex agnitione, fiducia et desiderio gratiae. Agnoscere autem et desiderare gratiam non est absque dono habitualis fidei gratuitae. Et *his duobus posterioribus modis intellexerunt Sacrae Theologiae interpretes, docentes Deum illustrare et gratiam facere his, qui faciunt quantum in se est*, intelligentes eos facere quantum in se est, qui vel ad *impetrandam gratiam*, vel *ad perseverandum in gratia* faciunt quantum possunt, ex his quae in se praesto habent, *utcumque sentientes iam Dei tractum*. Hanc sententiam docent Scripturae: Quacumque hora conversus ingemueris, salvus eris; Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Prope est Dominus omnibus invocantibus, his qui invocant eum in toto corde suo: si quaesieris Dominum invenies eum, si tamen toto corde et tota tribulatione animae tuae quaesiveris eum. Omnia autem haec, ex toto inquam corde quaerere, ingemiscere propter commissa peccata, desiderare gratiam illius, pulsare, invocare nomen Domini, et id genus alia fieri nequeunt *sine fide et fiducia* quadam obtinendae misericordiae a Deo tanquam ab eo, qui sua misericordia justificat impium. Proinde si nos peenitentes veteris vitae ex fide in Jesum faciamus quantum possumus, *pro venia peccatorum obtinenda*, consequens est Deum nobis remittere peccata. Verum condonationem hanc seu *peccatorum remissionem*, sicuti supra declaravimus facit nobis Deus non propter meritum gemitus aut planctus nostri, sed propter meritum Jesu Christi, cui innititur gemitus et planctus in corde nostro, *tanquam dispositio quaedam necessaria ad gratiam remissionemque peccatorum accipiendam*,.. Verum hic sciendum plures

ex supradictis scripturis etiam posse aliter interpretari, ut scilicet earum sermo intelligatur dirigi ad homines per initia quaedam caritatis justificatos, et donum seu gratiae beneficium datum petentibus, quaerentibus, pulsantibus, invocantibas, appropinquantibus ad ipsum, intelligatur *non remissio peccatorum, aut iustificationis gratia,* quo ex impio fit iustus, sed *augmentum profectus et perseverantia in gratia,* quae et a iustis, ac sanctis in hac vita orantibus, petentibus et pulsantibus suppliciter emereri vel impetrari possunt. Sic August. in libro de grat. et lib. arbitr. inquit, Deus praevenit hominem, ut prius aliquid dilectionis accipiat, qua oret, et quaerat sibi addi tantum quantum ad implendam legem sufficit. Ex supra dictis ergo poteris primum intelligere, qua ratione dicat Augustinus, si non traheris, ora ut traharis, cum tamen orare non poteris, nisi et iam tractus fueris. Geminus est enim trahendi modus, secundum quem Deus trahit, quos iustificare voluerit. Unus dum ad initium habitualis fidei excitat, suggerit, inspirat, et ante hunc attrahendi modum orare non potest anima, ut trahatur. Alius est trahendi modus, secundum quem excitat dormientem fidem, iam olim inspiratam. Quamvis autem ante fidem non valeamus neque orare *quemadmodum oportet,* neque in nobis fidei lumen aut caritatis ignem immittere, utique tamen possumus divinitus ad fidem et poenitentiam tracti atque adjuti ostium cordis nostri aperire et non reluctari Deo intus pulsanti, suggerenti. Nos autem docili atque tractabili corde auscultantes ad Deum intus excitantem et loquentem, accipimus ab illo fidei et caritatis spiritum etiam interdum in ipso momento, quo primum vocamur, quamvis crebrius antecedant motus quidam imperfecti et insufficientes ad accipiendam hanc iustificantem gratiam. Ex his insuper intelligere possumus, quod fide qua iustificamur semper est natura prior gratuitus quidam tractus Dei, intus pulsantis et attrahentis, per quem tractum homo potest aliquid facere quo facto Deus illustrabit eum. In qua sane illustratione homo ipse quod facit, non ex se solo facit, sed adiutus et tractus a Deo, qui facit eum hoc facere non inclinationis necessitate, sed libera voluntate. Et ita Deus dicitur aperire cor nostrum, et labia nostra, quae tamen, ut legimus in Scripturis sacris, nos ipsi aperimus, quia ipse facit, ut haec nos ei voluntarie aperiamus. Ipse facit ut velimus, atque ita velimus, ut deinceps eidem cooperemur volentes. Quemadmodum languens seu claudus, quamvis nequeat neque illuminare domum, neque immittere lumen oculis suis, utique tamen potest, innixus baculo, vel alicuius auxilio adjutus, erigere se et aperire fenestras, quo facto illuminabit domus, ut iam videat oculis suis lumen solis. » — Ergo veteres Theologi praedictum effatum non intellexerunt de faciente quod in se est *per vires naturae,* sed per vires *supernaturalis gratiae.* Et si quando dicunt, hominem *ex naturalibus* se praeparare ad gratiam, haud profecto docent, hominem se praeparare ad gratiam *per vires naturae*: sed aliud bene diversum, nimirum hominem se praeparare ad gratiam, *operando ea quae sunt per se naturalia,* et quae ipsa naturali ratione cognoscuntur, *adjutum tamen ope supernaturalis gratiae;* licet nondum operando ea, quae *per se supernaturalia* sunt, et quae supernaturali fide apprehenduntur. Illud ergo, *ex naturalibus,* excludit quidem *supernaturale obiectum,* sed non excludit *supernaturalis gratiae vires.*

41. R. Verum quidem est quod axioma, *facienti quod in se est,* Driedo in citato textu intelligat de faciente quod in se est *per vires gratiae supernaturalis,* et verum est quod theologi in hoc sensu illud etiam intellexerunt, sed aliam pertractando quaestionem, neque supra relatum sensum excludendo, imo illum aliis in locis explicite exponendo. Agit Driedo non de quacumque dispositione ad fidem, sed de positiva et sufficienti dispositione, quemadmodum etiam alii theologi, ubi de eadem dispositione agebatur, eodem sensu illud axioma in-

terpretati sunt. Et sane illa gratia est, *peculiaris Dei tractus ad initia fidei*, et hac *gratia fidei initialis*, supernaturalis ordinis, homo iam non mere negative, sed positive ad fidem disponitur; et de hac gratia proxime sufficienti ad fidem, quae non omnibus infidelibus datur, quaestio alia est, quam pertractamus, cur nempe non detur, et an omnibus saltem parata sit et quomodo, quam quaestionem Driedo ne attingit quidem in citato textu, sed in aliis. Ideo integros Driedonis textus, ut eius appareat doctrina, mox afferemus. Illud vero notandum est quod dum Driedo dicit, quod illi qui facit quod in se est per vires mere naturales nec gratiam *meretur* nec se *praeparat*, nempe positive, ad gratiam, siquidem haec *praeparatio* a Deo est, negativam dispositionem et praeparationem non excludit; et in aliis testimoniis aperte affirmat. Insuper ex citato textu Driedonis nihil profecto deducitur pro *supernaturali gratia* facientis quod in se est, ante fidem, pro gratia nempe ordinis supernaturalis, h. e. *intrinsece* et *entitative* supernaturali ante fidem, nisi dicatur quod quaelibet gratia a Deo data, et ex intentione salutis, sit *intrinsece* et *entitative* supernaturalis. Et hoc verum non est: si enim eius *intrinsecum obiectum* est adaequate ordinis naturalis, gratia *intrinsece* et *entitative* supernaturalis, seu supernaturalis *quoad substantiam* non est; sed supernaturalis est *quad modum; intrinsece vero* et *entitative* ordinis naturalis est, quam gratiam neque nos excludimus, neque diximus a veteribus theologis excludi, neque profecto a Driedone excluditur. Immo non aliam gratiam ante fidem *adequate* sumptam Driedo agnoscit; siquidem ante fidem formalem, et ante fidem initialem non agnoscit nisi vires naturae, a quibus profecto non excludit gratuita auxilia naturalis ordinis, ut possit homo saltem in difficilioribus naturalem legem observare, neque in toto textu allato vel unum verbum reperitur, quo asseratur illa naturalis legis observantia ante fidem ex gratia ordinis *intrinsece* et *entitative* supernaturalis. Ac si Driedo gratiam revera adstrueret, *intrinsece* et *entitative supernaturalem*, ante fidem; iam *meritum congruum* daretur ad fidem; et fides non daretur *nullis praecedentibus meritis*, Conc. Araus. II. can. ult., neque *fides* iam esset humanae salutis *initium, fundamentum* et *radix*, Conc. Trid. S. 6. c. 8., Suarez de Grat. l. 4. C. 15. n. 29., neque esset *omnino gratuita*, ut PP. constanter asserunt. S. August. de gr. et lib. arb CC. 7. 32., de Praedestinat. Sanctor. C. 7., l. Quaest. q. 74., Epist. 105., etc.

42. Verum clare Driedo distinguit inter *vires naturales*, gratiam ordinis naturalis ante fidem; et gratiam supernaturalis ordinis fidei initialis et perfectae: ac inter praeparationem negativam, et praeparationem positivam: et ita reliquorum theologorum doctrinae omnino consentit, in alio posteriori opere, in libro de Concordia liberi arbitri et Praedestinationis. Edit Lovan. 1547. pagg. 19. 24. 25., in quo magis mentem suam explicat. «Amplius autem, ait, *esto* Deum *per lumen vultus sui, pro loco et tempore*, docere omnem hominem ea quae sunt naturalis legis, et adesse insuper *per auxilia quaedam gratuita*, quibus adjutus. *quantum in se est faciens*, valeat *ad gratiam justificantem* pervenire, nihil contra superius dicta, cum sit manifestum, quod ipsum Deus, quamvis *per talia auxilia indebita* iuvet qualiter aptum novit, ut valeant se ad accipiendum *gratiam* accommodare, etc.» Haec ex concessione quadam et deinde ex propria sententia post verba relata n. 15.: «Jam si roges, an quispiam *nondum illustratus ullis fidei initiis*, posset sese *ad fidei initia praeparare;* Respondebitur forsitan, *omnem hominem, habentem liberi arbitrii usum*, iam habere Deum, *utcumque intus loquentem per lumen rationis internae*, testificantem de gratia, misericordia, et iustitia super peccatores, ad quem consulendum, si ad cor suum quisque intus rediret, *satis audiret Deum vocantem, atque invitantem* ad accipiendum quaedam initia fidei justificantis. Sic sunt venerabiles quidam

Patres, pie sentientes de divina gratia, omnibus parata, qui credunt omnes iam tam sufficienter vocari atque invitari, ut valeant sese accommodare ad accipiendum quaedam fidei initia, de qua re satis disserui in libro de Captivitate et Redemptione humani generis. Sed utcumque sit, hoc debet esse ex ecclesiastica praedicatione manifestum, quod nemo potest sese accommodare ad accipiendum fidei iustificantis donum, nisi sit *gratuita Dei suasio seu testificatio idonea* qua moveatur, vel ad credendum, vel ad cogitandum, et consulendum super his, quae testificantur. Fidei donum nemo accipit nisi qui vult credere, et sese ad ea quae sunt fidei docilem reddit, ut autem sic velit, *praeparatur voluntas a Domino*. Si qua ergo videatur *ante fidem dispositio* aut *ratio* in praedestinato, propter quam donatur fidei spiritus, illa dispositio est *ex gratuita suasione Dei vocantis*, atque ita est effectus divinae praedestinationis, sine qua etiam nec possumus de his, quae fidei sunt, cogitare aliquid pie, aut deliberate. Daturque fides propter illam dispositionem, non tanquam *praemium* propter *meritum*, sed tanquam *forma* propter *praeparationem materiae*. Vocatio seu suasio fit ut anima praeparetur. Praeparatur autem, dum vocata non reluctatur, sed ea quae sunt fidei pie cogitat, auscultat, consentire incipit. Neque enim Deus fidei spiritum infundit, nisi in animam *sic praeparatam*, qui et plerumque subito atque in momento totum simul inspirat. Quod *si ante gratuitam vocationem, suasionem, invitationem Dei*, secundum suam providentiam ad largiendum fidei spiritum, *dirigat liberum arbitrium* hominis, adhuc contemnentis fidem, aut nihil adhuc de his, quae sunt fidei, cogitantis, *directio haec divina*, ut nec *dignitatem*, nec *meritum*; ita nec in anima *dispositionem* ad habendam fidem supponit; sed *vel negat* aut *privat actualem fidei contemptum, vel ponit quandam conditionem alleviantem* peccati *gravitatem, ob quam congruum videatur divinam benignitatem* facilius ignoscere, praesertim si Sanctorum preces accesserint. *Talis conditio* est ignorantia, *talis* est et zelus ex ea procedens, utcumque pius in Deum, *similiter* et intentio boni finis in opere malo, quod malum esse ignoratur, sicuti Paulus, ut iam diximus misericordiam consecutus est, qui prius fuit blasphemus, et persecutor, et injuriosus, quia ignorans fecit in incredulitate 1. ad. Tim. 1. Fuit quidem opus eius in se malum; sed animus malum hoc non iudicabat, quia zelus legis Dei eum accenderat, non ambitio, aut dominandi cupiditas, sed nec invidia, quibus vitiis laborabant, quos Jesus antea hypocritas appellaverat, et multis modis iuste reprehenderat. Atque ita Paulus, dicens se misericordiam consequutum, quia ignorans fecit, etc. non vult, quod ignorantia in eo fuerit causa dignificans, sed quod fuerit tantum *conditio*, peccatum allevians, *sine qua* ipse omnino indignus, veniam non obtinuisset, propter quam oratio Stephani erat illi divinitus applicanda, quemadmodum solet dici, Stephanus si non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Unde et Beda super illo Verbo Salvatoris, *Pater ignosce illis, quia nesciunt*, etc. pro illis, inquit, rogavit Christus, qui nesciebant quid facerent, zelum Dei habentes, non secundum scientiam. Nec tamen huiusmodi ignorantia aeque omnibus est causa veniam obtinendi. Multi enim, qui Apostolos persecuti sunt et occiderunt, arbitrati forsitan obsequium se praestare Deo, in sua caecitate relicti sunt. Multi denique, qui cum Paulo persecuti sunt Sanctos, et forsitan minus quam Paulus peccaverunt, permanserunt in sua ignorantia, quibus datum non est, ut crederent, quod Paulo donatum precibus Beati Stephani Ecclesia confitetur.» Loquitur, ut patet, Driedo de praedestinatis et consequenter de gratia potius *efficaci*, quam mere *sufficienti*. Attamen clarissimum est eum distinguere et admittere hominem facere quod in se est, et ad fidem et iustificationem se disponere *per vires naturae*, per *gratuita auxilia*, seu gratiam supernaturalem quoad modum tantum; et per gratiam etiam *suadentem fidem*, adeoque

intrinsece et *entitative* supernaturalem. Per *vires naturae negativa* tantum apponitur *dispositio*, ne quis per seipsum *remaneat*, quominus indignus fidem et justificationem consequatur. Per *gratuita* item *auxilia* non adhuc habetur aut *dignitas* aut *meritum*, aut *positiva dispositio* ad fidem et justificationem. Verum per *gratiam suadentem fidem* habetur iam positiva praeparatio et dispositio ad fidem et justificationem.

43. Sed redeuntes ad aliud Driedonis opus de Captivitate, etc. Ed. Lov. 1534. pag. 407. seqq., dicimus 1.° Driedonem *vires naturae* non excludere, nisi quatenus per eas homo possit se praeparare ad gratiam *sensu Pelagianorum*, nempe positive, et per quandam congruitatem, seu meritum de congruo, vel simpliciter per positivam dispositionem. 2.° *Vires* iterum *naturae* non excludere, nisi quatenus quis contendat solis naturae viribus, *sine aliis specialibus gratiis*, posse ad fidem hominem pervenire et justificationem. 3.° Loquitur item Driedo potius de necessitate auxilii *proxime* sufficientis ad fidem et justificationem et de auxilio sufficienti coniuncto cum ipso actu, seu efficaci, quam de auxilio mere sufficienti, et de modo quo illud auxilium a Dei paretur et offeratur infidelibus. 4.° Tandem, si quia Driedo in illo loco cit. intelligit illud axioma de gratia supernaturali alius sensus esset excludendus, cum illud axioma de iustis tantum intelligat et addat etiam communiter ita intelligi, alius quilibet sensus de infidelibus et peccatoribus, esset consequenter excludendus, quod aperte adversarii non admittunt et esset contra ipsum Driedonem in eodem illo opere et loco, post paucas paginas, eandem adhuc pertractantem quaestionem, suipsius cito oblitum. Operae pretium est afferre integrum textum, qui facit ad rem nostram, siquidem ex illo omnia fere, quae dicta sunt, nedum oppugnentur, verum contra mirum in modum confirmantur. « Ad *tales*, inquit, *iam factos Dei filios* loquebatur Apostolus Paulus: fidelis Deus, etc.... *In his* verificatur *communis sententia*, Deus facientibus quantum in se est, non deest in necessariis ad salutem..... *Oportet, nos esse providos atque circumspectos ne fallamur, consentientes haeresi Pelagianorum*, qui erraverunt non solum in eo, quod dixerunt hominem per naturam sine gratiae posse esse sine peccato, aut justificari; sed in eo quod dixerunt homines *absque gratuito Dei auxilio per eandem naturam, seu legem Moysi, posse sufficienter sese praeparare ad gratiam. Hoc enim falsum esse patet* ex verbo Christi dicentis. *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus caelestis traxerit illum.* Uude sequitur post lapsum Adae *relicto sibi in solis talentis naturae facientem quantum in se est, non peculiariter intus tractum a Patre caelesti, non habere in potestate, ut veniat ad Christum, atque ita illum non sufficienter sese ad gratiam praeparare*, et idcirco talis gratiam iustificantem non accipiet, *nisi superveniat specialis tractus Dei intus suggerentis animae, ut ipsa dissentiens a peccatis, consentiat Deo tanquam auctori gratiae gratis justificantis. Proinde nemo faciens quantum in se est, sine tractu Dei inspirantis initia quaedam gratuitae fidei aut caritatis sufficienter ad gratiam sese praeparat.* Unde et Cornelius Centurio antequam Christum iam natum et passum distincte crederet, initia quaedam habuit gratiae fidei, ex qua et orabat, et eleemosynas dabat, non suis fidens operibus, sed divinae misericordiae. *Homo itaque sibi relictus, absque omni auxilio Dei gratuito, faciens quantum in se est, neque ita invocat, neque ita tractabilem atque docilem se exhibet, ut sese faciat aptum et sufficienter praeparatum ad accipiendam Dei gratiam.* Quamquam secundum humanae vitae conversationem *laudabiliter utentes naturae talentis, tales sese praestent, qui minus sint inepti minusque indigni ad accipiendam gratiam: non tamen laudabiliter sic utentes faciunt aptos sese et praeparatos eidem gratiae, non habentes in potestate tollere contraria et impedimenta prius posita.* Verum pro majori dilucidatione horum hic non videtur silentio praetereundum, quod *hominem*

facere quantum in se est, non est illum operari ex solis naturae viribus sine gubernaculo Dei operantis, quia nec etiam huius vitae opera, ut aedificare domos, plantare vineas, potest homo facere, si non concurrat Deus cooperando. Nec rursus est illum operari ex naturae viribus, divina providentia solum generaliter vooperante, sed est illum operari ex illis, quae praesto habet, sive sint naturae talenta, sive sint gratiae dotes, quemadmodum dicimus hominem oculis corporalibus sanum, praesente solis lumine, quantum in se est posse videre, qui tamen sine lumine videre non potest. Proinde quod dicimus hominem facere, quod in se est trifariam potest intelligi, etc. » Sequuntur quae supra in obiectione relata sunt n. 40.; deinde hanc statuit, post alias propositionem: « Conclusio septima. Deus quamvis non faciat neque ullum suae iastitiae praeiudicium, neque ullam suae misericordiae iniuriam, si non omnibus sub usu liberi arbitrii viventibus dispenset auxilium sufficiens, quo valeant ad salutem pervenire, non tamen neque Scripturis sacris, neque testimoniis Sanctorum adversamur, si bonitatem, clementiam, et misericordiam Dei super universos peccatores commendantes, non superba animositate, sed pia quadam fiducia doceamus omni homini peccatori sub usu liberi arbitrii vitam agenti caelitus dispensari, et si non semper, tamen pro loco et tempore sufficiens excitationis internae auxilium, quo valeat credere Deum, et inquirentium se esse remmeratorem, et non contemnere Jesum salutis auctorem sibi revelatum, et ex fide hac orare, invocare, eleemosynas dare et impetrare. — Haec propositio ex supradictis est manifesta, et probatur manifestissimis Scripturis; Sapientiae duodecimo. — Prior pars, qua dicitur: Deum non facere praejudicium suae misericordiae, si non largiatur peccatori auxilium, quo valeat ad justitiam pervenire patet ex eo quod dicitur: *Quis stabit contra iudicium tuum, quis tibi imputabit, si perierint omnes nationes, quas fecisti.* — Posterior pars per id quod ibidem docet etiam Aegyptiis non defuisse tempus et locum poenitentiae..... Hanc sententiam insuper in propriis ferme tarminis docet Augustinus in libro de Praedest. Sanctor. cap. 13 et 14..... Patet insuper, quod si pie, sicut expedit, sentire velimus de Deo, cuius misericordia plena est terra, non erit evangelicae doctrinae contrarium, si credamus impias gentes, nondum Chisto annulo fidei desponsatas, *praeter naturales synteresis instinctus, quibus naturaliter oderunt furtum, mendacium adulterium, homicidium, etiam habere quasdam divinarum excitationum vicissitudines, sed non tales, quales sunt inter sponsum, dilectum et dilectam, de quibus in Cant. legitur, nunc sponsus pertransire, nunc ad tempus declinare. Unde nullis unquam seculis, nullis generationibus defuit Dei miserentis cura generalis,* qua *se docuit Dominum caeli et terrae, colendum,* quamadmodum et in Actis Apostolorum legimus, *Deus quamvis praeteritis generationibus dimiserit omnes gentes ingredi vias suas, tamen non sine testimonio sui reliquit illos. Sed hoc testimonium naturae ad salutem, sine gratia, non sufficit, nisi mens fuerit adjuta vocatione interna ad accipiendum spiritum fidei.* Quemad modum in populo Istraelitico nemo sine vocatione interna ad spiritum fidei pervenit: ita de quibusqumque nationibus, quibuslibet temporibus nemo unquam qui fuerit spiritu gratiae discretus, qui tamen spiritus, etsi parcior et occultior in gentibus fuerit, pie tamen credimus, quod non illis prorsus se negavit. Et licet beneficia Dei obduratis hominibus nihil remedii nihilque emendationibus adferent, probant tamen aversionem eorum hominum obduratorum non divinae fuisse constitutionis, sed propriae voluntatis. Arbitramur itaque non adversari christianae fidei, si qui non contumaciter, sed ex pietate sustineat, *omni homini iam adulto per vires liberi arbitrii vitam agenti, secundum vicissitudines temporum divinitus communicari auxilia quaedam specialia, ut excitationes, suasiones, inspirationes et instinctus, quibus valeat ad quaerendum gratiam Dei promo-*

veri in viam salutis. » .. Et deinde in difficultatum solutione haec habet: « Dicimus primo. quod Deus adest quidem omnium hominum oculis, per lumen rationis internae, docens unumquemque generalia legis naturae principia... Verum hujuscemodi solius naturalis legis iura, *non sunt*, iam post Adae lapsum, *sufficiens auxilium, quo valeat homo immunis esse a peccato*, quia iam opus est venire ad Christum, *quem cognoscere non potest quispiam ex solis talentis naturae*.... Deus paratus est illuminare omnes, qui non praestant impedimentum vel obicem. Tales autem iam ex nobis esse non possumus, etiamsi non peccantes unquam propria volutate tales permaneremus, quales nati sumus, propter originale peccatum, quod sane impedimentum rejicere non possumus, nisi Deus sua gratia dignetur nos illustrare atque adjuvare... notitia vel naturalis amor Dei, ut conditoris naturalis esse, non sufficienter dirigit hominem ud resurgendum a peccatis, nisi fuerit animus eius divina misericordia excitatus ad credendum Deum, ut gratuitum humani generis liberatorem, et inde tractus fiducia quadam postulandi gratiam eius, qui tollit peccata mundi.... Quod autem quispiam a participatione luminis seu bonitatis illius deficiat in mortem hoc fit propter obstaculum seu impedimentum positum in homine impediens ingressum divini luminis. Illud autem impedimentum non ipse Deus, sed homo posuit in homine, quod est vel actuale, vel originale peccatum, vel utrumque simul. Hoc autem impedimentum, si ab aliquo *tollat* Deus, gratiae est indebitae, si autem *non tollit*, non est arguendus ullius iniustitiae... Quamvis pagani et gentiles, ubi fuerint sibi derelicti absque gratuito Dei auxilio possint facere opera quaedam licita secundum praesentem vitam hominum, ut colere parentes, subvenire oppressis, non mentiri: unde et haec facientes secundum naturalem legem non peccant, tamen *per huiuscemodi non praeparantur ad gratiam* justificantem. Sic dicit Apostolus, Gentes quia Deum ex creaturis agnitione non coluerunt, factos reos: possunt quidem ostium cordis ad accipiendum gratiam aperire, sed interna prius inspiratione pulsati.... Illius autem quod dicitur, Deum homini facienti quod in se est non deesse in necessariis ad salutem patet intelligentia ex supra dictis. Nam et Patres hoc dicentes adducunt pro hac sententia Scripturas quae loquuntur *non de omni homine, sed de homine iam credente aut iustificato,* intelligentes Deum tali homini facienti quantum in se est, non deesse de his, quae sunt ipsi necessaria *ad salutem conservandam aut ad perseverandum* in eo quod coepit orando iugiter et postulando, ne intret in tentationem..... Deinde et peccatori, qui Deo excitante sese praeparans ad gratiam facit quantum potest, Deus non deest.... Perspicuum est, non oportere nos curiosius in hac quaestione immorari *de auxilio sufficienti*, vel *non sufficienti ad salutem* super universos et singulos homines, cum sufficiat scire et Deum non esse injustitiae arguendum, si quosdam Spiritui Sancto vocanti *frequentius reluctantes* noluerit sufficienter adiuvare, scientes auxilium illud non prodesse, obesse potius his, qui non sic adiuvantur *ut obediant et concertantur*. Cum enim divina aeternae salutis auxilia hominibus negligentibus aut reluctantibus seu contemnentibus nihil remedii aeternae salutis afferant, quin potius maioris ruinae praestent occasionem, satius esset illis haec ipsis non impendi, sed eos deseri potius ac derelinqui auxilio tali. Melius, inquit Scriptura erat illis veritatem non agnoscere, quam post agnitionem veritatis retrorsum ire. Verum Deus ad maiorem declarationem suae iustitiae simul et misericordiae, facultatem quandam resurgendi praestat etiam reprobis, per huiuscemodi auxilia dispensata ipsis, volens ostendere illorum damnationem fuisse non divinae constitutionis et inevitabilis necessitatis, sed humanae voluntatis ad oblatum gratiae talentum non sese accomodantis. Sic Vener. August. hanc quaestionem videtur derelinquere am-

biguam, loquens de vocatione, qua vocati sic iuvantur, ut in libera habeant voluntate venire et non venire. Haec vocatio, inquit, sive in singulis hominibus *operetur*, sive non in singulis, comprehendi non potest. Non fecit taliter, inquit, propheta omni nationi. Paulus Colossensibus scribit istud salutis aeternae mysterium fuisse absconditum a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum in Sanctis, quibus voluit notas facere divitias gloriae huius Sacramenti. Cur hac manifestatione, qua nunc universis nationibus innotescit antea revelatum non fuerit; nulla potest scientia comprehendere, nulla intelligentia penetrare . . . . . Quemadmodum ergo gentiles et pagani ex se non habent quicquam, quo aut *mereantur*, aut *valeant se praeparare, aut facere dignos, seu idoneos, qui vocentur et accipiant iustificantem fidem*, ita et christianus relapsus in peccatum mortale, nihil habet ex se, quo solo aut valeat aut mereatur se praeparare et facere dignum, qui iustificetur ad accipiendum gratiam iustificantem . . . . . Ex superioribus liquidum est nos aliud significare, cum dicimus hominem habere *sufficiens auxilium*, quo continenter vivat et perseveret in eo quod coepit: aliud vero cum dicimus hominem iam per gratuitum aliquod donum *posse habere sufficiens auxilium:* quemadmodum aliud est hominem languidum habere baculum quo sustentetur, aliud est eum nondum habere, sed posse habere baculum. Potest languidus interdum, qui non habet, implorare adiutorem, qui rogatus sit paratus aut ducere languidum, aut dare baculum. Sic Deus electis suis rogantibus paratus est inter tot et tales tentationes dare *sufficiens adjutorium, quo valeant omnibus tentationibus resistere, non succumbere unquam*. . . . . Proinde si non habeas tantum praesidii, ut valeas in eo quo coepisti perseverare, habes tamen tale auxilium, quo potes ad id quod nondum habes *ascendere*, et ideo, si non habeas *quo valeas perseverare*, ex totis praecordiis adeas Dominum Deum, et ora ut habeas. Si quis vestrum, indiget sapientia, inquit Jacobus, postulet in fide, sapientiam appellans, qua pudice, continenter et recte vivitur. *Et secundum hunc modum* intelligendum est, quod solemus dicere de facere quantum in se est, ut homo ex his, quae in se habet a Deo faciat quantum potest, ut *ascendat* et *accipiat cetera*, quae nondum habet. Haec est doctrina Salvatoris, qui docuit discipulos suos orare, vigilare semper, et orare ut non succumbant irruentibus ex improviso tentationum impulsibus, etc. »

VIII. *Solvuntur obiectiones.*

44. Contra veritatem interpretationis traditae in propp. 2.-10. par. IV. n. 15. et seqq. Ob^{es} 1°.: Illo axiomate, intellecto de faciente per vires naturae, statuitur *infallibilis connexio* inter naturaliter facientem quod in se est et gratiam; dum e contrario statuitur *fallibilis connexio* inter naturaliter non facientem quod in se est, et gratiam. Atqui hujus discriminis ratio nequit esse Dei voluntas parata omnibus hominibus gratiae auxilia largiri. E. ratio illius infallibilis connexionis gratiae cum opere naturaliter honesto ipsum naturale opus est. Ergo naturalis operatio aliquam in se habet gratiae exigentiam. — R. Dist. major. quoad 1. p. statuitur *infallibilis connexio* inter gratiam et naturale opus, quatenus opus naturale habeat in se meritum, vel sit positiva dispositio ad ipsam N. Quatenus opus naturale est dispositio negativa removens obicem gratiae subd. et ipsa remotio obicis est ratio illius infallibilis connexionis N. hujus infallibilis connexionis unica ratio est sincera voluntas Dei, quae antecedenter ad ullam bonam hominis operationem statuit omnibus dare gratiam ad

salutem necessariam, et quae, quod inde consequitur, cum nullum sit ex parte hominis impedimentum, pergere debet ad donum quod liberaliter promisit conferendum C. — Quoad 2. p. Notandum est, quod si illo axiomate statuitur tantum *connexio fallibilis* inter non facientem naturaliter quod in se est et gratiam, et non statuitur etiam infallibilis denegatio gratiae; Ergo signum est quod illa conditio faciendi quod in se est per vires naturae non est reapse *ratio dandi*, conditio nempe qua Deus movetur ad gratiam largiendam. — Ad minor. Conc. min. Nam ratio illius discriminis, ut constat ex dictis, est ex ipso homine repetenda; quatenus nempe ille qui naturaliter facit quod in se est, cum posset naturaliter ponere impedimentum gratiae, et sic posset determinare gratiae denegationem, neque ponit illud impedimentum, neque consequenter determinat hanc gratiae denegationem: ille e contrario qui non facit quod in se est, illud naturaliter ponit gratiae impedimentum, quod justam gratiae denegationem determinare potest. — Ad conclus. dist. ratio illius infallibilis connexionis inter gratiam et opera naturalia, sunt ipsa naturalia opera in sensu semipelagiano, qui erat proprie sensus causalis; i. e. quia homo facit per liberum arbitrium quod in se est, i. e. aliquid boni, ideo Deus illum supernaturaliter vocat, seu dat illi primam auxiliantem gratiam supernaturalem N. in sensu pure conditionali, in quo conditio nullam rationem meriti, impetrationis et positivae dispositionis includit, sed solam obicis gratiae negationem C.

45. Ob^{es} 2.° Si facienti quod in se est per vires naturales Deus suam gratiam largitur, Deus expectat naturalem voluntatem hominis, ut ipsi suam gratiam conferat. Atqui hoc damnatur a Conc. Araus. 2°. can. 4°. Ergo. Cf. Sylvium in 1. 2. q. 109. a. 6. q. 2., Mezger Theol. Schol. T. 3. Tr. 9. D. 1. a. 2. §. 1. — R. dist. major. Deus expectat naturalem hominis voluntatem h. e. Deus interdum, ut supernaturalem gratiam conferat, requirit, ut homo impedimentum non opponat C., h. e. requirit praevium aliquod gratiae meritum, impetrationem et dispositionem viribus naturae habitam N. - Contrad. minor. Damnatur expectatio humanae voluntatis in sensus posteriori *causali* C. in sensu priori mere *conditionali* N.

46. Contra doctrinam traditam in par. V., nempe contra dicta ad refellendam tertiam Ripaldae assertionem, Cf. n 36. Ob^{es} 1.° Homo nunc est *ad fidem supernaturalem* elevatus: omnis autem actio debet esse in finem ordinata, et per eam homo ad suum finem consequendum disponi debet. Atqui ille finis est entitative supernaturalis,eique consequenter nonnisi actus *entitative* supernaturales proportionem habent. Ergo omnes hominis actus, *entitative* supernaturales sunt, in praesenti ordine providentiae. — R. ad ma. Conc. 1^{m}. partem. Ad 2^{m}. ejus partem dist., debet esse in finem *ultimum ordinata,* vel ut medium *per se* influens in illum tamquam *positiva* dispositio ad illum, vel ut medium in eundem influens tantum *negative,* per remotionem prohibentis C. exclusive, ut medium *positive* influens in illum N Cf. S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 9. — Ad 3^{m}. partem iterum dist. disponi debet, vel *proxime* et *positive,* vel *remote* et *negative* tantum C. semper *proxime* et *positive* N. Cf. Wirceb. de Gr. n. 284.-287. — Ad min. ad 1. p. C. — Ad 2. p. contrad. nonnisi actus *entitative* supernaturales proportionem habent proportione *medii per se influentis,* itemque proportione *dispositionis proximae* et *positivae* C. proportione medii saltem *negative* influentis, itemque proportione *dispositionis* saltem *remotae* et *negativae* N.

47. 2.° Homo per quemvis actum pravum recedit a Deo non solum fine naturali, verum etiam fine supernaturali. Ergo et per quemvis actum bonum accedit ad Deum finem non solum naturalem, sed et supernaturalem, secus deterioris esset conditionis respectu bonae operationis. Atqui sine gratia Dei *entitative* supernaturali homo nequit accedere ad finem

supernaturalem. Ergo. — R. homo per peccatum *recedit* a Deo etiam fine supernaturali *apponendo prohibens*, per actionem vero simpliciter honestam accedit ad Deum etiam finem supernaturalem *removendo prohibens*, quare reapse non esset deterioris conditionis respectu bonae operationis, si aliqua esset operatio simpliciter honesta, et non etiam entitative supernaturalis.Cf. Wirc. de Gr. n. 307. Inst. 5. coll. cum n. 290.

48. 3.° S. Thomas aperte docet *supernaturalem* gratiam cuivis praesto esse, ut *salutariter* agat. Cf. 1. 2. q 89. a. 6., ubi S. Doctor loquitur de puero perveniente ad usum rationis sine auditu fidei, et dicit: « siquidem seipsum ordinaverit ad debitum finem per gratiam consequetur remissionem peccati originalis ». Illa ergo ordinatio est ex gratia supernaturali; ac idem consequenter dicendum semper ac ille infidelis honeste agendo implicite saltem se ordinat ad debitum finem. — R. 1°. S. Thomas in 2. 2. q. 10. a. 4. quaerit: « Utrum omnis actio infidelis sit peccatum » et ita in c. respondet: « Dicendum quod, sicut supra dictum est, 1. 2. qu. 85. art. 1. et 2., peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturae. Unde cum infedelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratiâ carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturae. Unde manifestum est quod infideles non possunt operari bona opera, quae sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera ad quae *sufficit bonum naturae*; aliqualiter operari possunt ». Cf. etiam respons. ad 2m. et ad 3m. 2.° Quoad locum specialiter objectum duo distinguenda sunt. Primum est, an illa *ordinatio ad debitum finem* sit ex gratia intrinsece supernaturali ex mente S. Thomae. Alterum est, sit illa *ordinatio* vel non sit ex gratia intrinsece supernaturali, quomodo vera sit conditionalis illa propositio: *si seipsum ordinaverit ad debitum finem consequetur remissionem peccati originalis*. Etenim etiamsi sit illa ordinatio ex gratia intrinsece supernaturali, semper manet difficultas illius conditionalis propositionis explicanda. Nam ista supernaturalis gratia nequit esse ex mente S. Doctoris ipsa formalis illustratio fidei supernaturalis, quae omnibus eo vitae tempore detur; secus enim iam non darentur infideles mere negativi contra ipsam Angelici Doctoris clarissimam doctrinam in 2. 2. q. 10. a. 1. Neque vero ex eadem S. Thomae aperta doctrina potest quis post rationis usum sine fide justificari. Porro ad primum quod attinet illa *ordinatio ad debitum fidem* non est ex gratia intrinsece supernaturali. Etenim S D. praemittit, quod « primum quod tunc homini cogitandum occurrit est deliberare de seipso, et siquidem seipsum », etc. Loquitur ergo de naturali cogitatione obiecti, quod in principio usus rationis naturaliter, h. e. ex ipsa naturae inclinatione et propinquitate, cogitandum homini occurrit, et consequenter de ordinatione ad finem per naturalem actum voluntatis; nam conversio supernaturalis voluntatis supponit supernaturalem cogitationem in intellectu, de qua ne verbum quidem habetur apud S. Doctorem. Insuper S. Doctor agit de ordinatione sui non ad finem supernaturalem, sed *ad debitum finem*, h. e. uti ipsemet deinde explicat, « secundum quod in illa aetate est capax discretionis », collocando nempe finem suum in beatitudine imperfecte tantum et inchoative, apprehendendo bonum confuse, prout aetas illa consuevit. Unde cogitatio, quae tum occurrit ex S. Thoma non est tam de Deo quam de seipso, « cogitare de seipso » — « deliberare de seipso », quae cogitatio naturalis est et naturali modo occurrit. Tandem S. Thomas agit de puero neque exterius neque interius vocato ad fidem; agit de puero se ordinante ad debitum finem vi naturalis usus rationis et naturalis discretionis, minime vero vi fidei. Quare licet dicatur quod ea ordinatio fiat cum auxilio supernaturali, hoc auxilium certe non est *intrinsece* supernaturale, quia tale auxilium est ante revelationem fidei; unde cum tota illa cogitatione et omissione conversionis manet infidelitas ne-

gativa. Illud auxilium erit supernaturale tantum, quatenus est gratuitum et naturae indebitum per majorem quandam excitationem intellectus et voluntatis intra ordinem cognitionis et affectus naturalis, itemque erit supernaturale extrinsece, quatenus datur etiam per merita Christi et datur a Deo ex intentione supernaturalis salutis. Ad alterum quod spectat dicendum consequenter est, inter illam ordinationem ad debitum finem et infusionem gratiae habitualis, aliam intercedere conversionem ex auxilio supernaturali gratiae fidei, quatenus nempe Deus fidem illi puero inspirat statim ac recte deliberat, ordinando se in debitum finem. Idque indicare videtur S. Th. in resp. ad 3., ubi citat textum Zachariae, in quo de supernaturali conversione ad Deum agitur, postquam prius affirmaverit naturalem conversionem ad debitum finem. Ait enim: « Primum quod occurrit homini discretionem habenti est quod de seipso cogitet, ad quem alia ordinet sicut ad finem. Finis enim est prior in intentione, et ideo hoc est tempus pro quo obligatur ex Dei praecepto affirmativo, quo Dominus dicit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, Zach. 1. » Cf. Eximium Doctorem de Gr. l. 4. C. 15. n. 5. et seqq.

Conclusio.

49. Licet certissime tenendum sit, infidelibus omnibus dari generalem gratiam sufficientem, qua potestatem habent, saltem remotam, salutis consequendae, licet certissime etiam tenendum sit infidelibus, facientibus quod in se est, non denegari etiam gratiam aliam specialem sufficientem qua potestatem accipiant proximam salutis consequendae; ita ut inde manifestissime ostendatur inexcusabiles esse reprobos et sua tantum culpa perire: minime vero inde etiam *adaequate* explicatur, cur hi potius infideles quam illi ad fidem et justificationem pervenient. « Nam primò, etsi verum sit infideles omnes, qui generali illa gratia rectè uterentur, majora quaedam auxilia accepturos, quibus in Christum credere possent: falsum tamne est, eos tantùm majora illa auxilia accipere, qui generali gratia rectè utuntur. Quia ex omnibus fere infidelibus generalem gratiam perinde repudiantibus, alios per summam misericordiam perinde Evangelii luce collustrat; alios per justitiam eadem privat. Secundo, qui prima generali gratia rectè utuntur, omnes quidem ampliorem accipiunt, eamque sufficientem: sed non efficacem. Quia efficax gratia ex solo Dei arbitratu pendet, qui illam quibus vult impertit. » Deschamps De haer. Jans. l. 3. C. 12. V. Quapropter ad hanc quaestionem enodandam: cur hi potius quam illi ad fidem perveniant, ad arcanam Dei voluntatem *ultimo* recurrendum est. Apposite Augustinus, de Sp. et litt. cap. 34., Migne T. 44. c. 241. « Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam, nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo sola occurrunt interim quae respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum Rom., 11. 33.! et, Numquid iniquitas apud Deum Ib. 9. 14.? Cui responsio ista displicet quaerat doctiores, sed caveat ne inveniat praesumptores. » Et de peccat. merit. et remiss. l. l. c. 22. n. 31, Migne T. 44. c. 126. « Unde fit ut homo ab ineunti pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes caeteras provectior aptiorque consurgat, et tamen eo loco sit, ubi ei praedicari gratia christiana non possit?.... Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis et facinoribus coopertus, ita gubernetur, ut audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter hic vivat? Ubi duo isti tam diversa merita contraxerunt, non dico, ut iste credat, ille non credat, quod est

propriae voluntatis; sed ut iste audiat quod credat, ille non audiat; hoc enim non est in hominis potestate; ubi, inquam, haec tam diversa merita contraxerunt?.... ille.... ut et bonum haberet ingenium, et concupiscentiis ejus mitioribus urgeretur, quas posset facile superare: et tamen eam sibi gratiam praedicari non meruit, qua sola posset a secundae mortis pernicie liberari. Ille autem... cum carnis illecebris ardentissima cupidine vinceretur, et per nequissimam vitam... adderet pejora.... aut in cruce tamen audivit, *Hodie mecum eris in paradiso*, Luc. 23. 43.; aut alicui cohaesit apostolo, cujus praedicatione mutatus, et per lavacrum regenerationis salvus effectus est; ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia. Quid hinc respondeant, omnino non video, qui volentes humanis conjecturis justitiam Dei defendere, et ignorantes altitudinem gratiae, fabulas improbabiler texuerunt ». Cf. Suarez de Grat. l. 4. C. 17. nn. 1. 2.

INDEX ANALYTICUS RERUM

Quomodo Deus det infidelibus omnibus auxilium sufficiens ad fidem et salutem.
Quomodo intelligatur theologicum axioma :
Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

I. Dubitandi ratio. — Fides omnibus necessaria ad salutem. — Huius necessitatis ratio. — Non omnibus infidelibus fidei revelatio praedicatur 3

II. Variae theologorum sententiae. — Prima explicatio. Prima sententia: Deus denegat infidelibus auxilium sufficiens fidei. Secunda sententia: Deus omnibus dat aliquando lumen fidei. Tertia sententia: Deus omnibus providet per media generalia. — Altera explicatio. Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam. — Prima circa praefatum axioma sententia. Secunda sententia Suaresii, etc. Tertia sententia Wirceb., etc. Quarta sententia Molinae. Quinta sententia Ripaldae 4

III. Status quaestionis. — Triplex praefati axiomatis acceptio. — Eius veritas respectu gratiae habitualis, adjuvantis, excitantis, sive primae, sive secundae 7

IV. Quaestionis resolutio. — Prop. 1ª. Si quaestio fiat *de facto* praedictum axioma communiter intelligitur de faciente quod in se est per vires naturae. — Prop. 2ª. Deus decrevit dare omnibus hominibus sufficiens auxilium, quo possent et credere et justificari. — Prop. 3ª. Voluntas Dei dandi omnibus et singulis hominibus adultis auxilium sufficiens, quod proximam vocationem ad fidem constituit, non fuit absoluta, sed sub aliqua con-

ditione. — Prop. 4ª. Illa conditio alia non est, quam per naturales liberi arbitrii vires facere quod in se est, naturalem legem observando. — Prop. 5ª. Nomine virium naturae intelliguntur hac in re tum vires tantum naturae in facilioribus, tum etiam vires naturae adjutae in difficilioribus per auxilia ordinis naturalis, quae vera Christi gratia sunt. — Propos. 6ª. Homo, faciendo quod in se est viribus naturae, ad supernaturalem gratiam *positive* minime se disponit. — Prop. 7ª. Statuta conditio faciendi quod in se est *negative* dumtaxat se habet in ordine ad gratiam a Deo conferendam. — Prop. 8ª. Praedicta conditio non est conditio *sine qua non* gratiae habendae, sed conditio tantum *cum qua* illa gratia a Deo certo obtineatur. — Prop. 9ª. Ad tempus quod spectat, quo Deus dat homini facienti quod in se est auxilium supernaturale proxime sufficiens ad fidem nihil definite affirmari potest. — Prop. 10ª. Ad modum quod attinet revelationem et fidem ad salutem necessariam manifestandi infideli, qui fecerit, quodi n se erat, uti Deus potest vel evangelico praedicatore, vel angelorum ministerio, vel interna aliqua inspiratione. — Recapitulatio . . . 8

V. Aliorum doctorum sententiae. — Prima sententia. — Secunda sententia. — Tertia sententia. — Quarta sententia Molinae. — Quinta sententia Ripaldae. — Fides stricta et formalis est simpliciter necessaria ad salutem. — Nulla dispositio positiva ad justificationem ante fidem proprie et adaequate sumptam. — Non datur semper duplex actus, naturalis et supernaturalis circa idem obiectum. — Non omnis actus honestus est supernaturalis. 18

VI. Sententia S. Thomae et S. Bonaventurae. 29

VII. Sententia Driedonis 33

VIII. Solvuntur Obiectiones. 40

IV. Conclusio 43

COMMENTARIUS SECUNDUS

DE NECESSITATE MEDII

1. Necessitas *medii* contradistinguitur a necessitate *praecepti*. Haec solum est in obligatione, quae oritur a superioris imperio, quod sine peccato violari libere non potest. Quare haec necessitas est *removens prohibens;* peccatum enim impedit salutem. Illa vero est *in medio per se influente et conferente aliquid ad salutem;* ita ut ille influxus talis sit, ut sine ipso, vel inculpabiliter omisso, non possit salus comparari. Neque vero sufficit, ut sit dumtaxat *utilis* et *conducens* ad illum finem, secus *utilitas medii*, non *medii necessitas* haberetur.

2. *Necessitas* ergo *medii* in suo conceptu duo involvit, si proprie sumatur. Primum est: res ita necessaria, ut sine ea etiam invincibiliter omissa salus non obtineatur. Quoad hoc primum elementum *necessitas medii* convenit cum *conditione sine qua non*, absolute tali. Et sic etiam quoad hoc primum elementum necessitas medii distinguitur a necessitate praecepti: nam praeceptum observandum, non est *conditio sine qua non*, absolute talis, sed tantum *secundum quid;* quia nonnisi *culpabiliter* omissum impossibilem reddit salutem. Quod igitur asseritur a quibusdam Moralistis, quod nempe restitutio sit necesssaria ad salutem necessitate medii, valde improprie asseritur. Cf. Gury Comp. Theol. Mor. T. 1. n. 626. Alterum elementum, quod includitur in necessitate medii, est ipsa ratio medii, *positivi* nempe *influxus* in ordine ad salutem obtinendam. Quoad alterum hoc elementum *neccesitas medii* distinguitur omnino *a conditione sine qua non:* nam conditio *per se* nullum exercet positivum influxum in ordine ad effectum. Quod igitur asseritur a quibusdam Theologis Scholasticis et a Concionatoribus, quod nempe oratio sit necessaria ad salutem *necessitate medii*, proprie et stricte loquendo verum non est, sed tantum cum limitatione, h. e. regulariter loquendo, nam licet verum sit, quod Deus det gratiam orantibus, falsum tamen est quod nonnisi orantibus det; oratio enim non nisi medium ordinarium est a Deo constitutum ad gratiam obtinendam et salutem. Cum autem oratio vere habeat vim impetrandi, et positivum influxum exerat vere, regulariter loquendo, necessaria est necessitate non tantum praecepti, verum etiam medii.

3. *Necessitas praecepti* se habet, ut *conditio sine qua non*, negative; h. e. ut non violetur praeceptum: se habet, ut *conditio simpliciter*, positive; h. e. ut observetur praeceptum. Non violatio praecepti est simpliciter necessaria ad salutem; observatio praecepti est ad salutem necessaria, sed non *simpliciter*, tantummodo *secundum quid*. *Necessitas* autem *medii* se habet ut causa simpliciter necessaria ad effectum, nam medium habet rationem causae, causa enim est omne ens *influens* aliquo modo *esse* in aliud; et medium exercet suum positivum influxum in finem obtinendum. Hinc licet in V. T. Circumcisio fuerit necessaria *necessitate conditionis sine qua non*, non erat tamen necessaria necessitate medii, proprie loquendo; nam nullum exercebat positivum influxum in

gratiam deletivam peccati originalis. E contrario actus fidei in adultis, baptismus, poenitentia sunt necessaria necessitate medii; quia positivum habent et necessarium influxum in justificationem.

4. Licet observatio praecepti *meritorie* augeat gratiam; id tamen per accidens se habet in ordine ad justificationem; non enim dat primam gratiam, sed augmentum illius, quare non conducit positive ad primam gratiam, sed impedit ejus ablationem. Et sic non est *medium simpliciter* ad primam gratiam, quia non operatur directe, sed indirecte impediendo ne auferatur. Insuper quod praecepti observatio sit *meritoria* augmenti gratiae, hoc non habet *ex se*, qua talis, sed quatenus, in homine justo, cum gratia sanctificante conjungitur, ab eaque dignitatem et valorem recipit.

5. Quamvis in una eademque re reperiatur simul necessitas praecepti et necessitas medii, hoc ideo non est quia praeceptum observandum est etiam medium necessarium; sed quia medium necessarium est praecepto necessario observandum. Medium autem necessarium esse potest vel tantum ex positiva Dei ordinatione, ut in Sacramentis Baptismi et Poenitentiae videre est, vel etiam ex natura rei, uti actus poenitentiae.

6. Necessitas medii duplex est, *in re* et *in voto:* nam medium necessarium duplex est, medium *in re* necessarium et medium necessarium tantum *in voto*. Primum habetur cum *res ipsa* in sui individua natura exigitur ad salutem, ut actus fidei supernaturalis in justificatione adultorum. Alterum habetur cum, *re deficiente*, sufficit ad salutem *ipsius voluntas*, haec enim quasi vicaria supplet vicem illius, in ejusdem rei absentia, ut contritio perfecta et charitas perfecta in impossibilitate Baptismi, Poenitentiae sacramentalis. Etenim nihil magis proportionatum ad supplendum pro *re* aliqua, quam *voluntas* et perfectum desiderium illius.

7. Verum hic oritur difficultas. Nam si hac sola ratione res aliqua erit necessaria necessitate medii *in voto*, quatenus requiritur ejus voluntas ad salutem, etiam restitutio e. g. et idem dicatur de quovis alio praecepto observando, erit necessaria necessitate medii *in voto*, nam etiam illius praecepti voluntas requiritur ad salutem.

8. Ut resolvatur haec difficultas, et praefata medii necessitas declaretur magis, sequentia sunt animadvertenda.

A. Ille voluntatis actus, *quasi vicarius medii necessarii*, i. e. amor et contritio perfecta continet implicite ex sui natura voluntatem adhibendi omnia *media* a Deo instituta ad salutem, et servandi omnia *praecepta*.

9. *B.* Illa voluntas, supposita divina institutione talis vel talis medii, fertur magis peculiari modo in medium, quam in praeceptum. Medium enim duplici titulo exigitur ad salutem, 1.° quatenus *medium per se influens*, etiamsi cogitetur indipendenter ab omni praecepto imposito, 2. quatenus adest etiam de ipso *praeceptum*, ut de restitutione, etc.

10. *C.* Medium *in re* sufficit cum attritione sola. At medium *in voto* non sufficit cum sola attritione, etiamsi illud votum sit explicitum. Attritio ergo non includit votum medii, quum certe includat propositum observandi praeceptum. Exigitur *perfecta contritio* vel *dilectio Dei*. Quare specialis iste actus voluntatis, qui exigitur ostendit respectum magis specialem ad medium, quam ad praeceptum; non enim exigitur, nisi quia medium *in re* non ponitur.

11. *D.* Illa voluntas, quatenus est voluntas observandi *praeceptum* est voluntas removens prohibens, i. e. peccatum; quatenus est voluntas *medii* est per se influens in salutem. Etenim voluntas praecepti e. g. restitutionis est vicaria ipsius restitutionis; voluntas vero baptismi e. g. est vicaria ipsius baptismi. At illa, est *removens pvohibens;* hic, *influens. Voluntas pro facto reputatur.*

12. Sed obiiciet quis, perfectam contritionem et charitatem habuisse

vim justificandi etiam in antiqua Lege, et tamen in antiqua Lege non continebat votum alicujus medii adhibendi v. g. Baptismi vel Poenitentiae, Sacramenti. Ergo etiam si nunc justificat, per se influens in justificationem, nimirum proxime disponendo ad justificationem, id praestat ratione sui et non ratione *voti*, quod contineat. Respondetur Conceditur antecedens. Negatur consequens et consequentia. Nam nunc illi actus justificant et *ratione sui*, et *ratione voti*, quod continent, *medii necessarii*, quod votum tunc non continebant, quum non esset tale medium necessarium adhibendum, uti nunc Baptismus et Poenitentia, Sacramentum.

13. Hinc Deus peculiariter movetur ab illa voluntate, ad gratiam conferendam, quatenus continet voluntatem adhibendi media a Deo instituta, licet illa voluntas *explicite* eodem modo respiciat et medium et praeceptum, praesertim quando homo non recordatur medii adhibendi. Quare Deus peculiariter movetur ab illa voluntate intuitu potius operis, quam operantis, quatenus nempe illa voluntas obiective includit votum medii ex divina rerum ordinatione.

14. *Votum* igitur *medii* requirit quidem actum elicitum ex parte hominis, sed non desiderium expressum rei, quae dicitur et est necessaria necessitate medii: nam actus ille elicitus, supplens vicem rei, quae est medium necessarium ex ipsa divina institutione, obiectivam, habet ordinationem ad illam. Et sic licet nil cogites de Baptismo, actus amoris, quem elicis, de se ad illum ordinem dicit, et justificatio confertur non solum vi charitatis, qua talis, sed et qua ordinem obiective dicit ad baptisma.

15. Ad propositam ergo obiectionem n. 7. sic in forma respondetur: Negatur consequens et consequentia. Ad rationem additam. Distinguitur: Ad salutem requiritur etiam voluntas praecepti adimplendi, ut mere *removens prohibens* Conceditur, ut *vere influens* Negatur. Iam vero *voluntas* medii est *per se influens*, loco ipsius *medii*.

16. Praeter discrimen jam notatum, aliud etiam est discrimen inter *votum medii*, et *votum praecepti*. Cum medium necessarium suppletur per *votum*, salutis effectus confertur quidem illo *voto*, sed *in ordine* ad medium in re omissum, et quasi sub fide et promissione illlud implendi, si fieri possit. At vero in praeceptis non ita est. Nam si semel per ignorantiam invincibilem excusatur obligatio praecepti, necessarium non est *votum* et propositum supplendi praeteritum defectum; sed solum est necessarium propositum implendi praeceptum illud in futurum, quando nova erit obligatio.

17. Tertium discrimen etiam est. Nam res necessarium medium *in voto*, quod includitur in contritione perfecta et amore Dei perfecto, est revera medium aliquando *influens seipso*, in re adhibitum, in iustificationem. Hoc autem non contingit in praecepto, quod semper se habet, ut *removens prohibens*.

18. Quartum tandem discrimen est, quod ubi *votum* etiam implicitum praecepti propter impossibilitatem, uti in infantibus, non habeat locum, non ideo salus redditur impossibilis. Ad impossibile nemo tenetur. E contrario, ubi *votum* illud medii etiam implicitum sit impossibile, uti in infantibus, nisi medium reipsa tunc adhibeatur salus est impossibilis.

19. Difficultas est hic ultimo loco resolvenda. Poenitentia est necessaria *necessitate medii in re* vel *in voto* omnibus post baptismum lapsis; potest tamen quis primam justificationem accipere alio sacramento, e. g. eucharistia, et simul attritione, stante ignorantia invincibili peccati mortalis. Ergo falsum est, quod medium necessarium absolute omitti *in re* non possit, nisi saltem ejus *voto* suppleatur. — R. Quamvis in eo casu non habeatur *votum* sacramenti poenitentiae, quia attritio non continet illud votum, uti dictum est, poenitentia tamen sacramentum, medium necessarium, suppletur in isto casu *in re* ipsa alio medio vel efficaciori

vel saltem aeque efficaci, quoad productionem gratiae; idque uti patet *per accidens non per se.*

20. Medium item ad salutem necessarium, uti est baptismus et poenitentia sacramentum, suppleri potest martyrio, idque ex speciali privilegio. Quare medium necessarium aliud est stricte et omnino absolute necessarium, quod nullo alio potest suppleri uti tantum est fides in justificatione adultorum, aliud est stricte quidem necessarium sed non omnino absolute cum *per accidens* et *ex privilegio* alio medio suppleri possit, uti patet ex dictis in praesenti et praecedenti paragrapho.

INDEX ANALYTICUS RERUM

De Necessitate Medii.

Distinctio necessitatis *medii* et *praecepti* . . . . . *Num.* 1
Duo elementa, quae in necessitate *medii* includuntur . . . » 2
Praeceptum *conditio*, medium *causa* . . . . . » 3
Praecepti observatio, causa *per accidens* et non *ex se* . . . » 4
Medium et praeceptum simul . . . . . » 5
Medium *in re, in voto* . . . . . » 6
Solvitur difficultas. . . . . » 7
Votum medii et *votum* praecepti . . . . . » 15
Solvitur alia difficultas . . . . . » 19

COMMENTARIUS TERTIUS

DE MORIBUNDORUM ABSOLUTIONE ET ASSISTENTIA

§. I. *De moribundis, qui aliquo saltem modo confiteri possunt.*

1. Rituale Romanum loquens de iis, qui in periculo mortis versantur ait: « Si vero quis confiteatur, in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis; cessat enim tunc omnis reservatio: sed prius, *si potest,* cui debet satisfaciat: ac si periculum evaserit, et aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur: cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus. »

2. Si *impossibilitas,* extra articulum mortis, ab obligatione quapiam excusat, e. g. a restitutione, multo magis ea excusat in articulo mortis. Si praeterea *monitio* alicuius obligationis omittenda aliquando est a confessario, extra articulum mortis, ne peccatum ex *materiali* evadat *formale,* ea item multo magis omittenda est in articulo mortis, propter ingens animae discrimen, in quo moribundus tunc versatur. Ad *reservationem* vero quod attinet tum peccatorum tum censurarum, haec in articulo mortis omnino cessat. Etenim ex Conc. Trid. Sess. 14. cap. 7. « In eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibuscumque peccatis et censuris absolvere possunt. » Ex Const. autem *Apostolicae Sedis* potest etiam simplex sacerdos absolvere a casibus *speciali modo* reservatos Summo Pontifici in mortis articulo, « in quo tamen firma sit *quoad absolutos* obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint, » §. *A quibus.* Cf. Commentar. De Casibus reservatis n. 36. seqq., De Censuris n. 33. seqq. Tandem sacerdos complex complicem etiam absolvere potest in articulo mortis, « si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scan-

dalo non possit excipere morientis confessionem. » Cf. Commentar. De Const. *Apostolicae Sedis*, n. 37. et Commentar. De Const. *Sacramentum Poenitentiae* n. 60. seqq.

3. Ad confessionis autem *integritatem* quod spectat, infirmus propter eam torquendus non est: siquidem a materiali integritate excusat impossibilitas, quae habetur in extrema infirmitate, i. e. quando moribundus unum tantum vel alterum peccatum exprimere potest, vel etiam in communi confitetur, nullo peccato in particulari explicato, poenitentiam ostendens et absolutionem petens, ut habet P. Gury n. 598., et indubia nunc res est apud omnes. Si autem non adhuc ageretur de tali extrema infirmitate, prae oculis habendum est, quod scitissime observat idem P. Gury n. 508., ubi loquens de examine conscientiae ait: « Pro aegrotantibus non requiritur examen tam accuratum, sicut pro sanis; imo quandoque nullum ab eis exigendum est ob capitis debilitatem: nec facile iis mos gerendus, dum confessionem de die in diem differre se dicunt, quasi nondum satis conscientiam discusserint; sed quantum eorum status patitur, sunt a Confessario ipso breviter examinandi per Decalogi et Ecclesiae praecepta; praestat enim eos etiam imperfecte confessos in statum gratiae restituere per absolutionem, quam dilatis Ecclesiae Sacramentis damnationis periculo exponere. Elbel, n. 153. » Cf. S. Alph. Prax. Confessar. n. 105.

4. De *poenitentia* autem injungenda haec monet idem Rituale Romanum: « Meminerit porro sacerdos, aegris non esse injungendam gravem, aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactione imposita et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit. » Et S. Alph. addit: « Quod si infirmus sit constitutus in periculo mortis, tunc potest absolvi sine ulla poenitentia, licet expediat semper aliquam ei imponere. » Hom. Apost. n. 49. Atque hic opportunum erit notare ea, quae excusant ab obligatione injungendi aliquam satisfactionem. « E qua obligatione, inquit Lugo, De Poenit. Disp. 25. n. 47., constat, excipi aliquos casus. Primus est, quando poenitens est impotens, ut si sit morti proximus, maxime si caret iam sensibus, et non potest poenitentiam impositam percipere..... — Secundus casus est, quando Confessarius ex confessione et aliis circumstantiis intelligit, poenitentem integre satisfecisse pro poena debita: et licet raro, vel nunquam possit hoc constare, addit tamen Petrus de Soto... sufficere, quod probabiliter videatur satisfecisse. — Tertius casus huic similis est, quem alii addunt, quando absque satisfactione instat perfectae remissionis remedium, v. gr., si instet martyrium subeundum: quod alii extendunt ad Indulgentiam plenam lucrandam, saltem quae sit moraliter certa. — Quartus casus est, quando poenitens ob suam fragilitatem, nullam credatur acceptaturus poenitentiam: aliquando enim oportebit condescendere eius imbecillitati ad vitanda graviora mala: nunquam tamen continget, quod aliquam, levem saltem, poenitentiam non sit acceptaturus. » Cf. S. Alph. Prax. Confessar. n. 105.

5. *Absolutio* tandem *absolute* quidem danda est moribundis omnibus, qui aliquo modo in particulari vel etiam in communi confitentur, et absolutionem petunt Ratio est, 1.° quia Patres et Concilia dicunt absolvendum esse eum, qui petit Confessionem: ergo multo magis absolvendus est, qui aliquo modo in particulari unum vel alterum peccatum tantum, vel etiam in communi confitetur. 2.°, quia adsunt omnia requisita ad Sacramentum, et ad confessionem formaliter integram. — *Conditionate* vero absolvendi sunt moribundi, si aegre vix ad aliqualem confessionem inducantur, aut si de ipsorum sufficienti dispositione prudenter dubitetur. Ratio est, quia sic consulitur simul proximi necessitati et reverentiae Sacramento debitae. — Absolvi vero *nullo modo* potest mo-

ribundus, qui omnino recusat Sacramentum Poenitentiae. Ratio patet. — Gury n. 505., S. Alph. nn. 480. 482., Dicastillo Tr. 8. De Sacr. Poenit. D. 9. Dub 9. n. 735. — 762., Lugo De Sacram Poenit. D. 17. S. 1.

6. Confessarius autem contentus non erit absolutionem simpliciter dare, sed infirmum, et moribundum maxime hortabitur ad patientiam, et ad humilem submissionem divinae voluntati. Actus suggeret infirmo fidei, spei, caritatis, contritionis, eum quantum poterit juvando, ut rite se praeparet ad absolutionem recipiendam, et absolutus, ab hac vita discedens, ab omnibus peccatis, a Supremo Judice non condemnetur in altera vita; sed Patris benedictionem recipiens caeleste regnum ingrediatur. Si cum omnibus poenitentibus confessarius paternam caritatem habere debet, eam profecto maxime cum infirmis et moribundis debet exercere.

§. II. *De moribundis, qui confiteri non possunt, et nullum dant signum confessionis.*

7. An confessarius absolvere possit sub conditione moribundum sensibus destitutum, qui neque petiit confessionem, nec ullum signum dedit contritionis? Plures et graves theologi affirmant apud Dianam, alii vero negant, quibus adhaerent ipse Diana, qui pluries hunc casum pertractavit, Resol. 63. 64. 65., Card. Lugo De Poenit. D. 17. S. 3., et Dicastillo, l. c. n. 852. seqq. Huius sententiae ratio est, quia Sacramenti materia desideratur, et Patres ac Concilia absolutionem dandam infirmis dicunt, cum eorum voluntatis signum vel per ipsos vel per alios habetur.

8. Verum distinguendum videtur. 1.° Absolvi potest et debet, *conditionate*, quilibet moribundus, in quo attritio et confessio praesumi possunt aliquo modo, quantumvis tenuiter probabili. Ratio, quia in casu extremae necessitatis, etiam in Sacramentorum administratione licet uti opinione parum fundata. Sacramenta propter homines. Conditio autem apposita omnem a Sacramento irreverentiam removet: quare ea apponenda est cum de Sacramenti validitate non constet. — Hinc absolvendi sunt sub conditione moribundi omnes sensibus omnino destituti, qui christiane vixerunt, etsi tunc nec doloris nec confessionis signum ullum dederint. Ratio est quia in istis praesumi potest dolor et desiderium absolutionis. — Absolvendi sunt sub conditione alii etiam moribundi sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt. Ratio, quia adhuc in ipsis praesumi aliquo modo potest poenitentia et confessionis desiderium. — Potest probabiliter sub conditione absolvi moribundus destitutus sensibus in actu ipso peccati, v. g. in duello, adulterio, furto, etc. Ratio, quia etiam ille sufficienter dispositus esse potest; si e. g. ad peccatum forte adductus fuit timore, respectu humano, subitanea passione, etc. Gury nn. 505. 506', S. Alph. n. 481.-483. — Id *clare confirmatur*, inquit S. Alph. n. 482. ex doctrina, quam apud S. Augustinum, De Adult. Coniug. Lib. 1. Cap. 26. n. 33., legimus. «Catechumenis (inquit) in huius vitae ultimo constitutis, si morbo aut casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant petere sibi tamen baptismum .. non possint, prosit eis, quod eorum in fide christiana iam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit... Etiamsi voluntas eius incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet.» Quae postrema satis indicant de iis quoque rem esse, qui dispositi sint, nec ne, minime liquet, propterea quod nullum signum voluntatis suae praebere possunt. Et haec quidem valere etiam de Sacramento Poenitentiae, idem S. Doctor, ibid. cap. 28. n. 35., his verbis tradit: «Ego non solum alios catechumenos, verum etiam

ipsos, qui viventium coniugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore non admittamus ad baptismum, tamen si desperati. et intra se poenitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum caeteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinae carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri?... Quae autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha pacis exire velle debet mater Ecclesia.» Viva Damn. Thes. Append. §. XI., Del Vecchio Comp. Scav. T. 2. n. 694.

9. 2.° «Absolvi nullo modo potest moribundus,... qui *nullo modo* praesumi potest attritus. Ratio luculentissime patet.» Ita P. Gury n. 505. In hanc affirmationem cl. Ballerini in nota addit: «Quod absolvi is non debeat nec possit, qui nulla ratione dispositus censeri potest, diffitebitur nemo. Verum cum dispositio praesumi possit vel in eo, qui sensibus destituitur in ipso peccandi actu, vix apparet, quandonam futurum sit, ut nullo modo moribundus possit attritus praesumi.» Attamen apparet vere, quando moribundus nullo modo attritus praesumi potest. Duplex quidem distinguenda est peccatorum classis, quamvis de magnis etiam peccatoribus agatur. Peccatores sunt, qui peccant, qui multum peccant et diu in peccatis remanent, sed qui fidei tamen veritates credunt et firmiter credunt, timorem habent divinorum judiciorum, saepe etiam confitentur, vel certe si differunt semper conversionem, proponunt tamen et sperant in finali tandem impoenitentia non decessuros. De his utique praesumi potest, ut constat ex dictis superiori numero, quod desiderium poenitentiae habentes signum forte dederint doloris et confessionis. Verum alii sunt peccatores, qui licet baptizati sint, et inter christianos catholicos vivant, parum tamen in catholica religione sunt instructi, vel, licet bene instructi in ipsa, odio tamen ex malitia prosequuntur Ecclesiae Sacramenta et ministros; qui profitentur velle se vivere ut honestos viros, uti aiunt, et ut tales mori, omne sacerdotale ministerium a se abjicientes, sacra saepe etiam blasphemantes. Accedunt hi ad extremum vitae, parentes, amici Sacerdotem advocant; sed Jesu Christi Sacerdos contumeliose reiicitur a moribundo, qui omnem aeternae infelicitatis contemptum ostentat. Sesibus mox moribundus destituitur et in tali statu per horas et diutius etiam commoratur, quomodo sane Sacerdos, posset tunc in tali moribundo, vel tenui probabilitate, desiderium confessionis, dolorem et propositum praesumere? Opus vere est in tali casu miraculo divinae gratiae, sed miraculum praesumi non potest. Quare non videtur quod hujusmodi moribundus possit ullo modo absolvi, si nolimus revera margaritas ante porcos proiicere, et Jesu Christi Sacramenta risui et contemptui exponere. Viva Damn. Thes. Append. §. XI.

§. III. *Praecedentis casus difficultas.*

10. Quoad primum casum, n. 8., propositum, illud praeterea notandum est non raro infirmos omnia audire et intelligere, signum aliquod etiam efficere, quo suum manifestent desiderium confessionis, et internum animi dolorem, illud tamen ab adstantibus non percipi. Verum sive infirmus hujusmodi sensibile signum Poenitentiae edat, sive non, quaeritur quomodo tunc validum esse possit Sacramentum Poenitentiae. De hac quaestione cl. Ballerinius in nota ad n. 506. scribit: «Duplex porro adest ratio, qua praemissa S. Doctoris sententia, (nempe S. Augustini,

Cf. n. 8.) quatenus vel baptismum vel reconciliationem tribuendam docet homini, qui nullo indicio praesentem voluntatem manifestat, componi potest et solet cum communi doctrina de sacramento Poenitentiae. Nam cum communiter consentiant DD., absolutionem, saltem sub conditione, eiusmodi moribundis denegandam non esse; Viva tamen cum quibusdam aliis (apud S. Alphons. Lib. 6. n. 482.) iuxta opinionem, quae actus poenitentis vult esse sacramenti materiam *ex qua*, atque adeo aliquo modo sensibiles esse debere, eatenus contendit moribundum posse absolvi, quatenus quoslibet eius motus, suspiria, anxiam respirationem, oculorum contorsionem, etc., dicit accipienda esse tanquam signa, quibus ipse absolutionem petat, et quae in tanta necessitate ad dandam absolutionem sub conditione sufficiant. Alii vero iuxta diversam, quae scholae Scotisticae tribuitur, opinionem, reponunt (apud eumdem S. Alph. l. c.), non obstare, quod infirmus voluntatis suae signum praebere non possit: actus enim poenitentis esse tantum materiam *circa quam*, idest dispositionem ad sacramentum, quae non necessario debet esse sensibilis: de qua utraque opinione iam nonnulla superius (in not. ad. n. 417.) diximus. Haec, uti patet, ad praxim nihil conferunt, quia in praxi dandam absolutionem utriusque opinionis patroni contendunt. Veruntamen si quaeritur, utra pars solidiori ratione moveatur ad definiendum, in iis adiunctis posse ac debere moribundum absolvi, aegre forte quis palmam primae sententiae tribuet. Ac primo quidem in priori opinione illud merito durum videbitur, quod si moribundus nullum prorsus externum motum (ut subinde fit) praefert, absolutio nullo pacto ex eiusdem principiis, deficiente scilicet materia sensibili, poterit impertiri. Deinde vero, cum in eo par sit utraque opinio, quod in praesumenda infirmi dispositione aeque coniecturis uti debeat; probabilitas tamen, quae requiritur de sacramenti validitate, longe maior in posteriori, quam in priori opinione elucet. Probabilitas enim sententiae, quae poenitentis actus habet uti materiam *circa quam*, adeoque ad sacramenti essentiam externum dispositionis signum a penitente non requirit, longe excedit probabilitatem, qua motus digiti, aut oculorum contorsio, aut anxia respiratio infirmi ceu signa petentis absolutionem iuxta priorem sententiam accipi debent, quaeque ab ipsis hisce AA. tenuis appellatur (apud S. Alph. l. c.), et reipsa ita tenuis esse potest, ut facile e manibus imo et oculis elabatur. »

11. Sed iudicium de hac re penes aequum lectorem sit. Sententia certe, quae asserit actus poenitentis constituere materiam *ex qua* Sacramenti Poenitentiae, quam plures et graves Theologos patronos habet, et in praesenti communis doctrina est inter theologos, ita ut, quin ideo oppositam sententiam ideo improbemus, jure merito dici possit, quod *longe majori* gaudet *probabilitate*. Ut alia nunc praetermissa faciamus, nam haec quaestio ad nostrum scopum proprie non pertinet, si actus poenitentis non constituerent materiam *ex qua* Sacramenti Poenitentiae, tum dicendum esset quod cum « omnia Sacramenta, ex Conc. Florentino, tribus perficiantur videlicet *rebus tanquam materia*, *verbis tanquam forma*, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; QUORUM SI ALIQUOD DESIT NON PERFICITUR SACRAMENTUM; Sacramentum Poenitentiae forma tantum intrinsece perficitur et non etiam materia; et licet desit unum ex illis tribus adhuc tamen validum est Sacramentum. Quare quoad propositam quaestionem dicendum erit, perfici quidem Sacramentum et valere absolutionem, si revera a parte rei non deerit signum sensibile confessionis et poenitentiae ex parte moribundi; minime vero perfici Sacramentum si illud signum deerit. Quod confirmari etiam potest sollicitudine, qua hujusmodi infirmis ministrari solet Extrema Unctio, ut si forte non profuerit ipsis Absolutio, prosit saltem Extrema Unctio, ad quam sufficit interior poenitentia, licet nullo sensibili signo manifestata. Praeterea Sacramentum Poenitentiae insti-

tutum est per modum judicii, cui intrinsece essentialis est peccatorum accusatio in particulari, vel saltem in communi. Ceterum sint actus poenitentis materia *circa quam*, et non *ex qua*, num ideo sine poenitentis actibus et potissimum sine eius *confessione* consistere poterit *per se* sola sacerdotis *absolutio?* « Absolutio sacramentalis est *actus iudicialis*, atque adeo illam praecedere debet accusatio, et imploratio officii iudicis, qui non potest ex seipso hoc judicium inchoare, sed ad instantiam partis. Et sane cum certum sit ex decreto Clementis VIII. non sufficere confessionem per litteras, aut per internuncium in absentia Sacerdotis, ut possit deinde absolutio Sacramentalis a Sacerdote praesente conferri, a fortiori non potest haec conferri, si nulla simpliciter sensibilis confessio, ne in absentia quidem Sacerdotis praecessit. » Viva l. c. §. XI. Quare Ballerinii explicatio nihil explicat, et ut optime observat ipse Viva l. c. merito « exulat a libris et Scholis nostrae Societatis haec propositio: *Moribundus, etsi nullum signum dat, aut dederit Contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, praecessisse sensibilem aliquam Confessionem, absolvi potest.* » Neque vero consonum veritati est, ut patet, quod, secundum aliam opinionem asserentem actus poenitentis constituere materiam *ex qua* Sacramenti Poenitentiae, « si moribundus nullum prorsus externum motum, ut subinde fit, praefert, absolutio *nullo pacto* ex eiusdem principiis, deficiente scilicet materia sensibili, poterit impertiri: » nam impertiri tunc quidem non poterit *absolute*, sed impertiri poterit sub conditione, si prudenter putari possit adesse sensibilem aliquam confessionem. Num, *si certum etiam sit*, nullum adesse sensibile signum doloris et confessionis adversarii absolute absolverent huiusmodi moribundum? Viva l. c. Quare non apparet, quomodo in sententia Scoti affirmante actus poenitentis esse materiam *circa quam* et non *ex qua*, poenitentes sint in meliore conditione, quam in opposita sententia S. Thomae, 3. p. q. 84. a. 1. 2., q. 30. a. 1., quasi validum esse possit Sacramentum Poenitentiae, sine ullo sensili actu poenitentis, immo etiam sine ullo poenitentis actu, sine contritione, sine confessione, sine satisfactione; propterea quod non sint *materia ex qua*. Enimvero licet non sint illi actus necessarii tanquam materia *ex qua*, adhuc tamen poenitentis actus necessarii esse possunt, et sunt in sententia Scoti, tanquam materia *circa quam* necessaria, vel saltem tanquam conditio *sine qua non*. Nam Scotus in 4. dist. 14. q. 4. et dist. 16. q. 1. docuit profecto totam essentiam Sacramenti Poenitentiae in sola Sacerdotis absolutione contineri; sed simul addit contritionem, confessionem, et satisfactionem ad Sacramentum esse necessarias. « De Poenitentia Sacramento dico, inquit, quod ista tria nullo modo sunt partes eius, quia... Poenitentia Sacramentum est illa absolutio sacramentalis, facta certis verbis... Huius autem nulla pars est contritio... neque confessio... neque satisfactio... *Haec tamen tria ad Sacramentum Poenitentiae, ad hoc ut digne recipiatur requiruntur*, vel praevia vel sequentia. *Simpliciter* enim *requiritur confessio, quia sacerdos non absolvit reum arbitrarie, nisi prius reus sibi fuerit accusatus in foro illo. Non est etiam utilis illa absolutio, nisi praecedat in confitente aliqua contritio vel attritio... Satisfactio autem debet sequi Sacramentum Poenitentiae, ad hoc ut habeat efficaciam, et hoc in re vel in voto.* »

12. Jam vero in casu proposito, ut ait S. Alph. n. 482. « bene adest prudens dubium, quod moribundus vel ante destitutionem noverit suae damnationis periculum, vel post destitutionem ad illud advertat in aliquo lucido intervallo, in quo praesumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem, quamvis ista signa confessarius non percipiat: sufficiunt enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio praesumpta ad dandam absolutionem sub conditione. » Et Viva l. c. « Prudenter du-

bitari potest, ait, quod moribundus pro tali articulo velit absolvi, petatque absolutionem, quantum potest, *signis illis de se indifferentibus* ad indicandas morbi molestias potius, quam huiusmodi voluntatem aegroti..... quia passim homines, qui catholice vixerunt, dum instat mortis periculum petunt absolutionem; passim etiam qui sensibus inopinato destituuntur partim ex ipsa naturae constitutione, partim ex speciali Dei misericordia ad mortem imminentem advertunt, ita ut possint de peccatis dolere, Deum invocare, et Sacramenta exoptare; non raro etiam accidit, quod dum moribundus in aliquo lucido intervallo ad haec advertit, conetur absolutionem petere.... » Ego ipse dum hunc Commentarium conficerem, morti proximus *indifferentia illa signa* interne ordinabam ad exteriorem manifestationem interioris doloris et desiderii confessionis et absolutionis, pluribus fratribus meis sacerdotibus praesentibus, qui tamen illa non advertebant. Et Petrus Marchant in Tribun. Sacram. Tom. 1. Tr. 4. tit. 4. dub. 7., apud Diana Tr. 4. De Absolutione Sacrament. Res. 65. ait: « Sed ad primam partem hujus quartae responsionis in favorem animarum revertamur, in qua dixi, quod quando peccator catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat signum poenitentiae, aut desideratae sive postulatae confessionis; nihilominus possit sub conditione absolvi sive absolvendum esse. Cui responsioni, quamvis nonnulla superius dicta videantur adversari; illam tamen sic declaro. Etsi namque in tali peccatore sic oppresso, nullum mihi signum appareat, quod materiam confessionis faciat mihi sensibiliter praesentem in ordine ad absolutionem, nec mihi proinde certo constet peccatorem sic obmutescentem de peccatis de salute cogitare; imo nec appareat eum ratione uti; potest tamen fieri, ut non tantum intus de peccatis doleat, confiterique desideret; sed etiam aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, ut sunt suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum fixi intuitus, aut alii in corpore motus, qui etsi doloris corporalis, aut naturae patientis sint ordinarie signa; nihilominus ab ipso peccatore quandoque ordinantur, ut internae poenitentiae nutus. Unde absolvendo eum sub conditione et muneri ac caritati in hac extrema necessitate satisfacio; et conditio omnem irreverentiam et defectum, qui subesse posset, tollit, et in anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi Ministris Ecclesiae, quae, ut supra dicebat S. Augustinus, nullum ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet. Confirmor in hac ignotorum signorum declaratione eo, quod mihi semel extremo periculo post Extremam Unctionem laboranti, et per omnia sensuum operatione destituto contigit. Sensibus omnibus destitutus eram, excepto audito: ratione autem et iudicio firmo et recto intus utebar, ita ut cum me deficere et ex medico foris loquente, et ipsius naturae debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiae commendabam, et pium affectum aliquem foris conabar praestare. Unde mirum est, si forte gemitu aliquo, vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illa non notarent, nisi forte ut erant signa naturae patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quod si quovis modo aliquem catholicum sic oppressum reciperem, nec signum aliquod mihi intelligibile poenitentiae dare posset; nihilominus sub conditione absolverem eo quod forte aliquod signum poenitentiae edat, etsi mihi incognitum; cum, ut dixi, hoc sit caritatis, et conditio omnem defectum auferat, qui in administratione Sacramenti contingere posset. » Et Joannes Pontius apud eundem Diana l. c. Rel. 61. « Quantum ad me autem attinet, non video, cur non possit dari (absolutio) cum conditione, cum nihil mali sit in conferenda tali absolutione, et non sit evidens nec certum de fide quod non possit prodesse. Nec obstat, quia Concilia et Pontifices in hoc casu semper addiderunt, absolutionem impendendam, modo testimonium ab aliis detur voluntatis praeteritae confitendi: ergo requiritur, quod ipse aliquando significaverit talem volun-

tatem. Respondeo, eos loqui de absolutione absoluta non conditionata: et propterea hoc argumentum valere de tali absolutione non de conditionata, quidquid dicat Card. De Lugo. Dices cum Card. hoc Sacramentum ex institutione sua esse iudicium sensibile, ad quod requiritur accusatio sensibilis. Respondeo, negando consequentiam, si loquatur de alia sensibili accusatione, quam de illa quae potest ex signis sensibilibus coniici; accusatio autem poenitentis potest sic sensibiliter cognosci ex eo, quod soleant poenitentes cuiuscumque conditionis in periculo mortis petere confessionem, cum possunt id facere; est enim verisimilius, quod talis poenitens idem faciat interne, aut fecerit ante, ergo saltem sub conditione absolvi potest.» Cf. Gury Cas. Cons. n. 481. seqq.

§. IV. *De absolutionis iteratione in praecedenti casu.*

13. « Dubitatur: num liceat identidem iterare absolutionem Sacramentalem sub conditione moribundo, sensibus destituto? Ad quod dicendum, quod sicut nequit prima absolutio sub conditione illi conferri; nisi prudenter dubitetur, quod confessionem sensibilem praemiserit, et petierit absolvi; ita a fortiori nequit absolutio sub conditione iterari, nisi prudenter dubitetur, quod iterarit confessionem sensibilem et iterum absolutionem petierit. Dixi a fortiori, quia facilius contingit, quod prima absolutio sit simpliciter necessaria ad aeternam salutem aegroti, quam quod sit necessaria iterata absolutio. Quamvis enim nonnulli putent apud Lugo D. 14. De Poenit. S. 3., Dicastill. D. 6. S. 12., Diana 3. p. tr. 4. Res. 116., universim non requiri novum dolorem, ut possit dari nova absolutio; nemo tamen docuit, posse novam absolutionem conferri, nisi praeeat nova confessio. Et ratio ex Lugo est, quia Sacramentum Poenitentiae institutum est per modum judicii: quare sicut in judicio forensi post sententiam a judice latam nequit iterum judex jurisdictionem exercere. nisi de novo detur nova accusatio, et novus processus, cum jam sit functus munere suo, ita neque poterit in foro sacramentali sententia absolutoria iterari, nisi detur nova poenitentis confessio, et petitio absolutionis. Quia tamen contingere facile potest, quod prior absolutio sub conditione fuerit invalida, eo quod revera non praecesserint tunc signa poenitentiae, ac deinde post aliquod temporis intervallum moribundus absolutionem petat, unde indigea talia absolutione; idcirco quando id potest prudenter dubitari, tunc iteranda est absolutio conditionata: cum verissima sit ea maxima apud Ilsung T. 6. D. 6. q. 4. n. 146.: Quandocumque datur saltem tenuis probabilitas, quod Sacramentum non ministretur invalide, et simul detur summa necessitas talis Sacramenti, tunc Sacramentum licite administratur; nulla enim tunc irrogatur Sacramento, seu potius institutori Sacramentorum irreverentia, eo quod non administretur temere, ac irrationabiliter, sed juxta voluntatem institutoris. Imo in tali casu non solum administratur licite, sed etiam datur obligatio sub gravi illud administrandi: ut proinde Sacerdos doctus ac prudens in hoc laborare debeat, ut advertat, an signa poenitentiae, quae dantur a moribundo sint prudenter dubia. Quod si de hoc ipso rationabiliter dubitet, favendum in tali dubio reflexo saluti moribundi. » Viva l. c. §. ult. « Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem iuvabit, ut ita ille magis circa statum gratiae securus reddatur, si forsan praeteritae confessiones invalidae fuissent, aut saltem gratiae augmentum recipiat, nec non purgatorii poenae ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in lethale incidat peccatum, ne exterreat, sed moneat, ut Jesu ac Mariae nomina invocet, si rursus ten-

tatur, benigne ipsum confortet, procuret ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat. Si tamen infirmus iam sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valde saepius intra eundem diem absolutionem ei impertiri, quia tunc, licet conditionate detur, tamen ut sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis causa requiritur; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc sacerdos ex conscientia, quam noverit infirmi se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba, et ipse non libenti animo suffert, tunc saepius absolutio dari potest; sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat; frequentius tamen si iam iam est moriturus. » S. Alphons. Prax. Confessar. n. 276., Et Op. Mor. l. c. n. 483.: « Bene advertit Roncaglia de Poen. c. 3. in fine, non esse saepius absolvendum moribundum destitutum intra breve spatium temporis sine novo signo certo, nisi bis vel ter, servata proportionata distantia, quia revera tunc cessat necessitas, quae adfuit in antecedentibus absolutionibus praestitis. Secus vero dicendum, si destitutio perseverat per longum tempus. »

§. V. *De moribundis, signum dantibus confessionis, cum confiteri non possint, praesente sacerdote.*

14. Quando moribundus dat, praesente sacerdote, generalia signa, quibus ostendit se peccasse, et de eo dolere, si eo quod usu linguae destituatur, vel subito sensibus privetur, non possit aliquid in particulari vel etiam in communi confiteri, potest sacramentaliter absolute absolvi et consequenter absolute absolvendus est. « Et expedit illum toties absolvi, quoties nova ipse praestat signa doloris. » S. Alph. n. 480. — Ratio est 1°. quia id expresse docent Rituale Romanum, Concilium Arausicanum et Chartaginense III. et IV., et S. Leo Papa; quorum testimonia statim afferemus. Cf. n. 17. seqq. 2°. « quia talis dat veram materiam absolutionis, scilicet, veram suipsius accusationem cum ostensione doloris, quantum hic et nunc dare potest, et ex qua sacerdos in hoc foro cognoscit poenitentem peccasse, et eum de hoc dolere, et consequenter cognoscit statum poenitentis, eumque esse sufficienter ad absolutionem dispositum, quantum hic et nunc cognosci potest, quae absolute sufficiunt, ut sacramentaliter absolvi possit. Nam Deus a nobis non requirit aliam confessionem, quam quae nobis hic et nunc possibilis est. » Coninch De Sacr. Poenit. Disp. 7. Dub. 10. n. 97. « Si petit confessionem aliquo signo significans illum dolorem ut absolvatur, eo ipso confitetur peccatum saltem in communi, nec potest ostendere dolere quod peccaverit, nisi se fateatur peccatorem. » Dicastillo l. c. n. 763. Quare, ut patet, hic casus substantialiter diversus non est a casu n. 5., quo moribundus voce quidem, sed in communi peccata confitetur. Ut autem observat S. Alph. n. 480. « absolutio cadit *directe* super omnia peccata illius sub ratione generica peccati, ut accidit in naufragio, bello, etc., talis autem Confessio in casu nostro satis habetur in illo signo praestito doloris, sive in petitione absolutionis; his enim actibus infirmus jam se peccatorem fatetur; *indirecte* autem super peccatis particularibus, et ideo poenitens tenetur postea illa in particulari explicare. Falsum autem est dicere, quod absolutio tunc ferretur, causa incognita, quia potius dicendum, quod eo casu fertur, causa cognita, meliori modo quo potest, licet non plene cognita, ut ait Croix l. 1. q. 31. Et hoc est certum. » Confir-

mari autem potest, quia ut docet D. Thomas in 4. D. 21. q. 2. a. 1. et 2., qui solum meminisset in genere se fecisse aliquod peccatum mortale, et hoc ita confiteretur deberet absolvi, cum tamen in particulari nihil confiteretur. — Diana Tr. 4. De Absol. Sacrament. Res. 55. 56. 57., Dicastillo l. c. n. 745. seqq., Lugo l. c. S. 2.

15. « Dices velle confiteri non esse vere confiteri, velle enim sumere Eucharistiam, aut velle jejunare non est vere sumere Eucharistiam, aut jejunare, ergo nec velle confiteri et ostendere hanc voluntatem erit ullo modo confiteri; quare juxta hanc interpretationem dicendum erit, quod absolutio confertur, nulla praecedente confessione. Respondeo ex dictis negando consequentiam; quia qui vult sumere Eucharistiam aut jejunare, non habet ullo modo talem actum, sed solum in voto. At vero qui ostendit et dicit se velle confiteri, eo ipso confitetur; nam confiteri in genere loquendo est dicere et fateri proprium delictum, qui autem dicit se velle confiteri suum delictum eo ipso dicit, et fatetur se habere delictum, quod confiteatur: non potest ergo ostendere voluntatem confitendi, quin eo ipso aliquo modo confiteatur in actu exercito suum peccatum saltem in genere. » Lugo De Poenit. D. 17. n. 74.

§. VI. *De moribundis, signum dantibus confessionis, cum confiteri non possint, absente sacerdote.*

16. Si moribundus ante adventum confessarii confiteri petierit, et signa ostenderit poenitentiae, adveniente autem confessario, omnem usum rationis amittat, ita ut nullum iam, praesente confessario, signum edat doloris; si tamen adstantes testentur ipsum, et confessionem petiisse, et signa ostendisse doloris, potest a confessario praesente absolvi. — Ita S. Antonius 3. P. Tit 10. C. 2. circa medium, Silvester v. *Confessor* 3. n. 16., Coninck De Sacr. Poenit. Disp. 7. Dub. 10. n. 99., Dicastillo l. c. n. 770. seqq., et, aliis omissis, S. Alph., qui n. 481. inquit: « omnino affirmandum cum sententia communi. » Negant quidem aliqui ex veteribus theologis, sed res in praesenti est certa apud omnes; et, cum omni quidem certitudine, demonstratur ex Documentis mox afferendis.

17. In Rituali Romano De Sacr. Poenit. §. *Ordo ministrandi* dicitur: « Quod si inter confitendum, *vel etiam antequam incipiat confiteri,* vox et loquela aegro deficiat; nutibus et signis conetur (loquitur de confessario), quoad eius fieri poterit peccata poenitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, *vel etiam si confitendi desiderium*, sive per se, *sive per alios ostenderit, absolvendus est.* » Huiusmodi moribundus *absolvendus* dicitur, et pari modo, nulla facta distinctione, *absolvendus* dicitur, sive aliquo modo *confiteatur,* licet imperfecto, sive *confitendi* tantum *desiderium per se vel per alios ostenderit;* neque absolutio limitatur ad casum quod, praesente sacerdote, signum dederit doloris et confessionis; imo potius implicite extenditur ad casum quod nonnisi absente sacerdote illud dederit signum; siquidem dicitur quod confitendi desiderium sufficiat ad absolutionem dandam, manifestatum sive per se, *sive per alios.*

18. Concilio Arausicano C. *Qui recedunt* 26. q. 6. haec habentur: « Subito obmutescens poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeteritae testimonium aliorum verbis habeat, aut praesentis in suo nutu », quo scilicet dolorem de peccatis significet. Indiscriminatim hic declaratur capacitas poenitentiae, sive aliorum testimonio tantum, sive propriis signis declaretur poenitentiae voluntas. Si aliorum verbis illud praeteritae voluntatis testimonium habeatur, jam signum confessionis et do-

loris, nonnisi sacerdote absente, habetur, cui deinde praesenti manifestatur ab aliis.

19. Conc. Carth. III. Can. 34. idem statuitur: « Aegrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium dixerint, baptizentur. Similiter de poenitentibus agendum est. » Baptismus profecto absolute dandus est, et non conditionate; si *similiter de poenitentibus agendum est,* et Poenitentia absolute concedenda est. Baptismus dandus omnino est, si aegrotantes pro se respondere non possunt, sed alii eorum voluntatis testimonium dixerint, adeoque, absente sacerdote, illam manifestaverint voluntatem. Si iterum *similiter de poenitentibus agendum sit,* absolutio danda est, licet, absente sacerdote, Poenitentiae desiderium aegrotantes manifestaverint.

20. Conc. Carth. IV. Can. 36. eadem fit praescriptio: « Is qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate, obmutuerit, vel in phraenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiet poenitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infunditur ori ejus Eucharistia. » Nullum sane hic vestigium est conditionatae absolutionis, sed absque ulla difficultate declaratur hujusmodi poenitentem reconciliari posse per manus impositionem. Evidens autem est, quod infirmus hic, sacerdote absente, Poenitentiae desiderium ostendit.

21. S. Leo Papa C. *Is qui* causa 26. q. 6., Epist. 89. sancivit: « Si aliqui aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub praesentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium et circumstantium prodesse debebunt, ut simul et poenitentiam et reconciliationis beneficium consequantur. » Aperte hic agitur de signo desiderii Poenitentiae exhibito, absente Sacerdote, et de beneficio reconciliationis absolute concedendo.

22. Et S. Thomas Opusc. 65. §. De Extrema Unctione; ait: « Si autem infirmus, qui petit Unctionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum Sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari et a peccatis absolvi », nempe quando post petitum similiter Baptismum vel absolutionem, notitiam vel sensum amisisset antequam sacerdos veniret. Eadem autem ratione dicitur ungendus, baptizandus, absolvendus, neque ulla fit distinctio, ita ut absolute ungatur et baptizetur, sub conditione vero absolvatur.

23. « Ex his patet, sacerdotem tali casu non solum *posse,* sed etiam *teneri* talem absolvere. Quia cum hoc licite possit facere, vel ex caritate, vel etiam ex justitia, si ipsius pastor sit, ad hoc obligatur. Quod etiam verum est respectu eorum, qui contrariam sententiam tenent; quia cum hanc sententiam possint in praxi tuto sequi, idque sit saluti moribundi valde expediens aut etiam necessarium, si solum sit attritus, ad hoc vel ex caritate vel etiam ex justitia tenentur. » Coninck l. c. n. 106.

§. VII. *An in praedicto casu absolutio danda sit sub conditione solum explicita?*

24. Quoad praecedentem casum, quaestio movetur, an absolutio danda sit sub conditione, et sub explicita conditione. « Communius censent Doctores absolute. » Ita idem S. Aph. l. c. Et re quidem vera absolute dandam esse absolutionem erui videtur ex iisdem Documentis, quae absolute omnino loquuntur de absolutione danda, neque ullo modo videntur conditionatam absolutionem significare, ut jam observavimus praecedeuti paragrapho.

25. Quaestionem hanc ita resolvit Lugo l. c. nn. 90. 91.: « Certum est in primis, non esse obligationem exprimendi exterius illam conditionem, *si possum*: sufficit enim si concipiatur interius. Certum item est, semper adesse conditionem implicitam: nemo enim intendit dare absolutionem impossibilem, sed illam quam potest. An debeat illam conditionem mente saltem explicare: communiter dicunt absolvendum esse infirmum sub conditione. Ita loquitur Suarez in praesenti Disp. 23. Sect. l. num. 12. Alii dicunt, absolvendum *saltem* sub conditione; per quod indicant non esse obligationem addendi conditionem. Ita loquitur Coninch Opusc. de Absolutione moribundi num. 64. Alii tamen dicunt superfluum esse addere eiusmodi conditionem: ita loquitur Vazquez in praesenti quaest. 91. art. 2. dub. 1. num. 39, quem sequitur Joannes Sancius in selectis disp. 44. num. 32.; et videtur magis iuxta mentem Ritualis Romani, in quo nihil dicitur de tali conditione adjungenda, sed absolute dicitur absolvendus infirmus. Neque etiam in antiquis decretis, quae attulimus ulla fit mentio conditionis apponendae. Si autem esset talis obligatio monitî fuissent Sacerdotes, ne in re ade- gravi errarent, prout moniti sunt de apponenda quando baptizant aliquem, de quo dubitatur. an fuerit antea baptizatus. — Cur autem magis apponenda sit conditio in casu illo baptismi, quam in nostro; ratio est, quia ibi agitur de dubio proprio, in quo non potest minister iudicare baptismum nunc valide conferri. At vero in casu nostro habet assensum ad minus probabilem de valore absolutionis: quando autem operamur ex assensu probabili, operari possumus absolute, absque alia conditione apposita: quia assensus praecedens absolutus est, licet sit probabilis. Unde cum proportione debita idem dicendum erit de absolutione, quae debet etiam sub conditione dari, quando datur cum vero dubio, v. gr. si dubitat sacerdos, an signa ab infirmo exhibita fuerint ad significandum dolorem de peccatis et voluntatem absolutionis, an vero ex dolore morbi. Item an quando dixit se velle confiteri esset compos sui, an impos, et sine rationis usu. In his enim et similibus casibus propter reverentiam Sacramenti absolutio impendi debet sub conditione explicita interius concepta. » Ita etiam Dicastillo l. c. nn. 850. 851.

§. VIII. *Praecedentis doctrinae difficultas.*

26. Quomodo praecedens doctrina componatur cum Decreto Clementis VIII., prohibente confessionem factam absenti confessario per litteras aut per internuntium difficultate non caret. Certum tamen est praecedenti doctrinae minime repugnare praedictum Decretum. Etenim ipse Clemens VIII. vivae vocis oraculo enunciavit, se non intendere casum, quo moribundus sensibus destitutus, quem adstantes absolutionem antea petiisse testentur absolvendus est. Insuper Rituale Romanum approbatum fuit a Paulo V. Clementi VIII., tempore, posteriori.

27. Praefatum Decretum sequentis est tenoris: « S. D. N. etc., re mature ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuncium confessario absenti *peccata sacramentaliter confiteri*, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit ac prohibuit, praecepitque, ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. » Paulus V. d. 14. Jul. 1605 in Congr. S. O. declaravit, hoc decretum etiam in sensu diviso, h. e. de confessione vel de absolutione seorsim, valere.

28. Animadvertendum in primis est, « quod ex vi illius decreti non solum haberi id quod verba sonare videntur, nempe talem confessionem vel absolutionem esse *illicitam*, sed etiam esse *invalitam* . . . . . quia si in aliquo casu esset valida talis confessio vel absolutio non potuisset prohibitione Pontificis reddi illicita in universum pro omni casu; nam sicut leges ecclesiasticae non obligant cum gravissimo damno temporali, aut periculo vitae corporalis; sic multo minus obligare possent cum gravissimo detrimento spirituali, et periculo damnationis aeternae. Unde si aliquis, tentatis omnibus viis, non posset habere confessarium praesentem, non posset prohiberi, quod ei absenti confiteretur iam iam moriturus, si eiusmodi confessio valida esset. Falsum ergo esset, quod in nullo casu liceret talis confessio vel absolutio; quare ut vera sit Pontificis sententia, fatendum est in nullo prorsus casu validam esse, et ideo in nullo prorsus casu esse licitam, et Pontifex docet. » Lugo De Sacr. Poenit. D. 17. nn. 63. 64., Dicastillo l. c. n. 803., Viva Damn. Thes. Append. §. X.

29. Rationes ita exponit Dominicus Viva, Damn. Thes. Append. §. X. « Et quod attinet *ad absolutionem*, eam non sufficere ad valorem Sacramenti Poenitentiae, si conferatur absenti, constat primo ex sensu communissimo DD. apud Suar. D. 19. De Poenit. S. 3. Deinde ex ipsa Ecclesiae praxi, quae indicat hanc fuisse Christi Dni institutionem: nunquam enim Ecclesia consuevit dare absolutionem sacramentalem absenti. Ergo Christus Dnus noluit instituere pro forma huius Sacramenti, nisi absolutionem, quae praesenti conferatur; sicuti quia non consuevit Ecclesia absolvere nutibus sed verbis, dicimus id ita a Christo Dno institutum, ut proinde ne in casu quidem necessitatis possit valide sacerdos mutus absolvere nutibus moribundum. Universim enim constans Ecclesiae praxis in materia Sacramentorum indicat Christi Dni institutionem. Tertio id suadet ipsa forma absolutoria, quae voce humana proferri debet; de ratione quippe locutionis est, ut ea ad praesentem dirigatur. Pronomen etiam illud *te*, quod in ea forma habetur, cum sit demonstrativum videtur non posse apte dirigi ad personam absentem. Quarto, quia Minister in hoc Sacramento debet, ut exactus judex, ante absolutionem examinare et cognoscere statum poenitentis, quantum ipse poenitens manifestare potest; ad quod necessaria est, per se loquendo, poenitentis praesentia; praesertim, quia aliter posset facile absolutio conferri indisposito, si vi delicet antequam absolveretur, novum peccatum committeret. Quinto id ostendit etiam paritas reliquorum Sacramentorum (Matrimonio dumtaxat excepto, propter specialem rationem) omnia quippe Sacramenta ex vi suae institutionis confici debent in praesentia subiecti, cui conferuntur, juxta usum Ecclesiae, eorumque forma sunt verba presse dicta, ita ut non possint confici nutibus, aut scripto; ergo idem dicendum de Sacramento Poenitentiae, in quo eadem omnino ac in alis Sacramentis est Ecclesiae praxis et traditio, quae est optima interpres institutionis. divinae. — Quod attinet vero *ad confessionem*, quamvis ex institutione Christi Dni possit ea nutibus, aut scripto suppleri, quando desunt voces poenitenti; immo etiam fieri possit per interpretem, ut ostendit Ecclesiae praxis; at quod fieri ea non possit in absentia Sacerdotis, aut per scripturam, aut per internuncium, constat tum ex eadem consuetudine Ecclesiae, tum etiam ex eadem ratione, qua absolutio non potest conferri absenti, cum non possit absens apte statum suae conscientiae sacerdoti distanti manifestare: poenitens quippe in hoc tribunali debet esse simul reus, accusator, et testis, et seipsum accusare simul, et aliquo pacto defendere, ut ostendat dispositionem ad absolutionem obtinendam: quae omnia secundum se rite fieri non possunt in absentia; et idcirco congruenter Chistus Deus instituit, ut Confessio voce humana fieret quoad posset, infallibiliter tamen ea fieret in praesentia Sacerdotis. Ratio autem, cur in casu neces-

sitatis confessio fieri possit in praesentia Sacerdotis aut nutu, aut per scripturam, aut per interpretem, non possit autem in casu necessitatis fieri per epistolam aut per internuncium in absentia, est, quia passim accidunt casus, in quibus poenitens voce destituitur: idcirco ne multi carerent hoc Sacramento adeo necessario, voluit Christus Deus, ut possit suppleri confessio alia via, quam per voces: rarissime autem contingit, quod absit praesentia confessarii, qui non sit mutus. » Praetermittenda autem non est, praeter Ecclesiae praxim, potissima ratio, ex Conc. Trid. desumpta. sess. 14. cap. 2., quo dicitur quod Christus Deus in institutione huius Sacramenti, peccatores post Baptismum lapsos « ante hoc tribual, *tamquam reos sisti voluit,* ut per sacerdotem sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari, » quae verba, in propria et obvia significatione, poenitentis, in confessione, praesentiam, et confessarii, in absolutione, praesentiam significant.

30. « Nonnulli per injuriam, inquit Viva l. c., hanc sententiam de usu licito Confessionis, aut absolutionis in absentia, in sensu diviso, ausi sunt appingere Eximio Doctori. Verum quam longe a vero aberrent, ostenditur ex iis, quae tantus Doctor habet D. 19. de Poenit S. 3. et D 21. S. 4., ubi ostendit oppositum, prout olim semper docuerat, solumque asserit, quod Pontifex in condemnatione hujus thesis non praesumitur velle damnare sententiam celeberrimam, quod possit sacerdos absolvere moribundum sensibus destitutum, si adstantes testantur, quod, antequam sensibus destitueretur, absolutionem petierit, quae sententia, si Card. Toletum audiamus est expressa sacrorum Canonum, illamque praestantissimi Doctores docent, ut videre est apud Coninch D. 7. de Poenit . . . . . nec aliud contendisse dum locis laudatis dixit thesim a Clemente VIII. confixam intelligi posse in sensu tantum copulativo, quam quod in ea proscriptione non comprehenderetur confessio explicata moribundi. Circa quam interrogatus Clemens VIII., num moribundus in tali eventu absolvi deberet, respondit his verbis: *debere, neque aliter se facturum, neque id unquam suo voluisse Decreto.* Cuius oracnli testes acciti fuere Cardinalis Bellarminus, et Archiepiscopus Armacanus apud Lugo D. 17. S. 4., qui addit: *puniendum a se Parochum, qui in simili eventu poenitentem cunctaretur absolvere* . . . . . Ceterum ne interpretatio illa Suarii aliis praeberet ansam ad dicendum, quod universim liceat confessio in absentia, dummodo absolutio non detur absenti aut viceversa, idcirco, ut notat Moya Tr. 3. D. 6. q. 2. n. 13., Pontifex decrevit, ut ea interpretatio a P Suario expungeretur: ubi tamen Pontifici innotuit, quod ea interpretatio solum deserviebat ad explicandum, quo pacto casus moribundi eo Decreto non comprehenderetur, et quod disertis verbis id solum doceretur a Suario, permisit, ut ad communem utilitatem ea operibus Suarii restitueretur, prout legitur loco laudato. » Viva l. c. §§. X. et ult. Decretis sane S. O. Junii ann. 1602., 20. Jul. et 18. Aug. eiusdem anni praedicta interpretatio amovenda erat ex operibus Suaresii, imo integra sectio 4. Disp. 21. erat amovenda. Sed vivente ipso Suaresio, iterum ejus opera Lugduni publicis typis edita sunt anno 1613. et tota eius doctrina et integra illa sectio 4. D. 41. omnino sunt suo loco restituta. Gormaz, Tanner Theol. Scot. T. 4. de Poenit. Disp. 6. q. 19. n. 16.

§. IX. *Prima difficultatis explicatio.*

31. Difficultatem hanc conantur nonnulli resolvere dicentes, ideo tunc absolutionem dari debere non *absolute* sed *conditionate.* Verum iste dicendi modus difficilis sane est et difficultatem non resolvit. Diffi-

cilis est, quia ut jam vidimus absolutio conditionata ex nullo ecclesiastico documento constat. Quin immo, ut jam vidimus; satis superque constat eam absolute esse dandam. Difficultatem vero non resolvit, quia eatenus conditionate dari potest absolutio, quatenus praesupponatur, si non ut certum saltem ut aliquo modo probabile non habere tunc locum Decretum Clementis VIII., et haec est praecise difficultas, cujus solutio quaeritur; quomodo nempe non verificetur in eo casu confessionem fieri absenti. Porro non tantum probabile, sed certum est non verificari confessionem in eo casu fieri absenti, cum ipse Clemens VIII. vivae vocis oraculo declaraverit hunc casum suo Decreto nullo modo comprehendi. Si hic casus non comprehenditur in Decreto, declarante illiceitatem *in omni casu*, confessionis absenti factae, confessionem profecto absenti factam non continet. S. Alph. n. 481. par. *Neque obstat.*

§. X. *Altera et communis difficultatis explicatio.*

32. Jam vero, si statuta conclusione num. praeced. sistamus, res facile videtur explicari posse. Decretum enim agit de casu bene diverso: siquidem agitur de *confessione per litteras, aut per internuntium confessario absenti* facta: in nostra autem conclusione agitur de confessione per adstantes, quasi per interpretes facta confessario praesenti. « Cum talis, ait Conink l. c. n. 104., ostendat exterius se dolere de peccatis, ac velle confiteri, petatque in hunc finem Sacerdotem accersiri, generatim jam incipit confiteri, simili fere modo, atque is, qui per interpretem confitetur, dum huic sua peccata dicit, ut sacerdoti deinde ea explicet. Quare, dum adstantes postea sacerdoti praesenti poenitentiam et desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius confessionem sacerdoti exponunt, atque ipse per hos sacerdoti jam praesenti confitetur, atque ita sufficientem materiam absolutionis praebet. »

33. « Talis moribundus, inquit Diana Tr 4. De Absol. Sacram. Resol. 58. n. 8., eo quod ostendit se dolere de peccatis cum signis contritionis, vel etiam petit Sacerdotem, a quo absolvatur, fatetur se peccasse, petitque ut adstantes tanquam suae voluntatis interpretes, id Sacerdoti praesenti denuntient, ab eoque absolutionem pro se petant; casu quo id per se facere non possit; ergo dum hi id faciunt, ipse per eos, tanquam per suos interpretes, praesenti Sacerdoti confitetur. Igitur in tali casu infirmus, qui ostendit, et habet, et indicat praesentem et absolutam voluntatem confitendi, confessionem de facto moraliter inchoare censetur; praesentia autem sacerdotis, postea advenientis, coram quo, qui ante praesentes fuerant, moribundi voluntatem ac desiderium testantur, ac tanquam horum interpretes Sacerdoti explicant, non solum, ut adversarii obiiciunt, est mere materialis, et quasi per accidens, sed etiam vere humana et formalis, quia ipse ex auditis et visis humano modo, quantum potest in tali casu fieri, iudicat de statu poenitentis. » Et n. 9. idem fere repetit: « In tali casu cum talis ostendat exterius se dolere de peccatis, ac velle confiteri, petatque in hunc finem Sacerdotem accersiri generatim jam incipit confiteri, simili fere modo atque is, qui per interpretem confitetur, dum huic sua peccata dicit, ut Sacerdoti deinde ea explicet; quare dum adstantes postea Sacerdoti praesenti poenitentiam et desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius confessionem Sacerdoti exponunt, atque ipse per hoc Sacerdoti iam praesenti confitetur, atque ita sufficientem materiam absolutionis praebet. » Ita etiam Viva l. c., etc.

§. XI. *Tertia explicatio.*

34. Ad propositam difficultatem explicandam illud praecedenti doctrinae praeterea addi potest; quod nempe in praedicto Decreto agitur de *confessione*, de confessione nempe proprie tali, qua quis ex Christi institutione *sua declaret peccata*, adeoque tanquam reus sisti se debet coram iudice seu ministro Sacramenti Poenitentiae, secundum doctrinam Concilii Tridentini. In casu vero proposito non agitur proprie de *confessione* sed de *desiderio confessionis* per signa manifestata, quod *desiderium* licet non sit in re ipsa *confessio*, est tamen adhuc aliqua confessio, in generaliore quadam significatione, sed a confessione proprie tali distincta. Et sic in ipso Rituali Romano distinguitur *confessio*, *inceptio confessionis*, *desiderium confessionis*.

35. Distinctionem hanc notavit Archiepiscopus Armacanus in sua Epistola ad P. Coninck 6. Jun. 1624. « Observandum, ait, esse rem distinctam *confessionem Sacramentalem*, et voluntatem seu votum, aut *desiderium Sacramentaliter confitendi*; idest confessionem eiusmodi reipsa facta, vel attentatam, vel tantum in voto, seu desiderio habitam. — Rursum votum, seu desiderium ita confitendi posse esse vel internum tantum, quod perinde solius Dei judicio sit subjectum, vel exterius etiam signis declaratum, per quae innotescat confessario, eum qui absolvendus est, eiusmodi desiderium seu voluntatem habere, sive illa signa sint exhibita in praesentia ipsius confessarii, ita ut ab ipso audita sint vel visa, sive in ipsius absentia; ita ut nonnisi per testimonium aliorum, qui audierunt, vel viderunt, notitiam de illis acceperit. — Quamobrem sunt etiam distinctae quaestiones, quarum una proponebatur; utrum liceat per litteras seu internuncium confessario absenti sacramentaliter confiteri. Altera adhuc quaeritur: an quando aliquis in absentia confessarii declaravit aliquo signo exteriori se velle sacramentaliter confiteri, si superveniens confessarius eum inveniat ita constitutum, ut non tantum non valeat peccati ullius confessionem facere, sed nec illius suae voluntatis signum aliquod in praesentia ipsius exhibere; possit nihilominus ex notitia per testimonium aliorum accepta de signo ante adventum suum exhibitum eum sacramentaliter absolvere — Quae cum ita se habeant Clemens VIII. Decreto suo merito damnavit ac prohibuit, quod in priore quaestione proponebatur, scilicet, licere per litteras seu internuncium Confessario absenti *sacramentaliter confiteri*: hoc nimirum sensu, ut sic facta confessio censenda sit sacramentalis; eaque damnatio ac prohibitio conformis est doctrinae Conc. Trid., in qua traditur, quod Christus Dominus eos, qui se post Baptismum crimine aliquo contaminaverint, ante tribunal Sacramenti Poenitentiae tanquam reos sisti voluit. — Sed quoad posteriorem quaestionem, cum non tantum sit certissimum Clementem Pontificem non intendisse damnare, seu prohibere, quod quispiam per litteras, seu internuntium Confessario absenti declaret, se velle ei confiteri, ideoque eum accersat, *ut praesenti confiteatur*; sed etiam mihi semper fuerit persuasissimum, quod, incidente casu, qui in quaestione illa exprimitur, confessarius superveniens possit ac debeat sacramentaliter absolvere iuxta antiquos canones, et nominatim juxta doctrinam S. Leonis Papae in cit. sua Decretali, in qua quod agat de sacramentali absolutione etiam intellexit S. Thomas 3 p. q. 84. a. 3. ad 2. Hoc ipsum privatim communicavi Clementi Pontifici, idque postquam in Officio S. Inquisitionis improbata esset interpretatio sui Decreti a Theologo quodam facta, tanquam non esset in eo damnata ac prohibita utraque divisim pars propositae quaestionis: ac respondit mihi Sua Sanctitas non

fuisse sibi propositum damnare seu prohibere, quod absolutio sacramentalis impendatur, incidenti casu expresso in posteriore illa quaestione. Sic testor, anno 1624. Junii, uti adhuc feci ante annos aliquot. Petrus Lombardus Archiepiscopus Armacanus Primas Regni Hiberniae. »

§. XII. *Quarta explicatio.*

36. Communis explicatio omnino non placet Lugoni propter duo. « Primum est, quia ex ea sequitur necessarium omnino esse ad valorem absolutionis in casu nostro, quod Confessarius superveniens audiat et cognoscat desiderium infirmi ab iis, qui adhuc sunt in eiusdem infirmi praesentia, atque ideo, si id cognovisset Confessarius in itinere ab eo, qui ipsam vocavit, et qui cum eo non rediit, non potuisset infirmum absolvere in virtute illius notitiae, quia eam non acceperat in praesentia ipsius infirmi. Consequens autem falsum est, et contra mentem Ritualis et antiquorum Decretorum. Sequela autem patet, quia iam tunc confessio fieret in absentia, quando scilicet confessarius non esset praesens poenitenti. Secundo displicet, quia ad hoc ut confessio, quae fit per interpretem dicatur proprie et in rigore fieri in praesentia confessarii non sufficit, quod confessarius sit praesens, quando interpres loquitur, sed etiam quando poenitens loquitur interpreti et manifestat ei sua peccata. Ratio autem a priori est, quia confessio est manifestatio, qua poenitens confessiario manifestat sua peccata; sed haec manifestatio non est sola locutio interpretis, sed conflatur ex locutione poenitentis ad interpretem, et interpretis ad confessarium; nam sola locutio interpretis secundum se non est locutio poenitentis, sed haec prout procedit a poenitente Ergo si confessarius solum est praesens, quando interpres narrat, quae audivit a poenitente, non vero quando poenitens committit interpreti, ut ea narret, non fit confessio coram sacerdote nisi inadaequate, unde licet non fiat tota confessio tum in absentia, fit tamen partialiter in absentia, atque adeo non fit tota in praesentia. » De Poenit D. 17. nn. 67. 68

37. Quare insistens Lugo potius in tertia consideratione difficultatem ita paulo aliter explicat et declarat. Ut vitentur praedicta inconvenentia, dicendum, inquit, cum aliis « confessionem dupliciter sumi posse, nempe vel stricta, vel in magis universali significatione. Confessio *stricte* est accusatio, qua, *in actu secundo,* aliquis se iudicialiter accusat, ut quando reus in iudicio interrogatus confitetur iuridice suum crimen coram iudice et notario. Confessio, *minus stricte*, et in universaliori acceptione, extenditur ad ea, quae praecedunt, ut cum reus dicit, ego volo confiteri meum delictum, de quo sum accusatus, vel quando ad hunc finem vocat iudicem et notarium, ut audiat eius confessionem, quia paratus est, iam ad confitendum; quae quidem in latiori significatione, dicitur etiam confessio, eo quod implicite videatur iam reus confiteri suum delictum. Solet tamen vocari voluntas, seu propositum confitendi, ut condistinguatur ab illa confessione stricta, qua reus in actu secundo et explicite confiteretur delicta, et quidem confessio stricte, nisi fiat coram iudice et notario, etc. non est valida, nec appellatur confessio iudicialis: illa autem alia confessio fieri etiam potest et communiter fit ante iudicis adventum, quia est confessio extra iudicialis, quae tamen aliquando habet suos effectus, et prodesse potest, atque admittitur in jure in multis casibus. Hac ergo duplici confessionis acceptione supposita, conciliare possumus illa Pontificum Decreta, si dicamus Decretum Clementis loqui de confessione stricta, et primo modo accepta, cum enim odiosum sit, debet in sensu magis stricto intelligi: et ratio id suadet: ideo enim confessio

sacramentalis requirit praesentiam confessarii quia per illam satisfacit poenitens obligationi, quam ex Christi praecepto habet sistendi se coram legitimo judice, et confitendi sua delicta; haec autem obligatio non est nisi ad confessionem strictam et explicitam, quae juxta leges etiam est actus personalis, qui fieri debet coram judice, comparendo personaliter in judicio. Voluntas vero confitendi seu confessio antecedens et praeparatoria non requirit talem praesentiam. Loquitur ergo Clemens de confessione sacramentali stricte. At vero S. Leo et Concilia supra adducta dicunt, in casu necessitatis posse admitti ad effectum absolutionis confessionem illam quasi extraiudicialem, et magis universalem, quam poenitens facit, dum ad finem confitendi vocat confessarium, et implorat eius officium. Dixi, *quasi extrajudicialem*, quia in aliquo sensu vere est judicialis, cum ordinatur ad judicium poenitentiale, et sit pars Sacramenti et materia illius . . . . . Confirmatur 1°. haec responsio ex ipso contextu Ritualis, in cujus verbis haec ipsa confessionis distinctio *et duplex* acceptio significari videtur. Dicit enim, *si antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegrum deficiat, si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Ubi aperte significatur ipsum confitendi desiderium ostensum per se vel per alios non fuisse confessionem stricte acceptam; alioquin repugnantia esset, quod *antequam confiteri incipiat, et loquela deficeret*, desiderium confitendi ostendisset, si hoc ipsum ostendere tale desiderium esset confessio stricte sumpta: nam eo ipso quod vocasset confessarius, jam incepisset confiteri. Supponitur ergo, quod nondum confessio incepta esset, quod de confessioue stricte sumpta intelligi debet . . . . . Confirmatur 2.° quia si desiderium confitendi intelligeretur a Clemente nomine *confessionis* in suo Decreto, sequeretur proibilitum jam esse explicare tale desiderium in absentia Confessarii, quia Clemens dixit, in nullo casu licere in absentia confessarii confiteri confessione illa, de qua loquebatur. Consequens autem absurdum est, ut constat. Ergo fatendum est Clementem nomine *confessionis* non intellexisse illam, quae includitur in expressione desiderii confitendi, sed aliam magis strictam. » Quare ad validitatem huius Sacramenti necessaria quidem est aliqua confessio, sed quemadmodum, licet confessio integra *per se* necessaria est ad remissionem peccatorum, *per accidens* vero etiam dimidiata sufficit; ita confessio stricte talis est *per se* necessaria, sed *per accidens* sufficit etiam confessio minus stricte talis. l. c. n. 72. seqq.

§. XIII. *Quinta explicatio.*

38. Subtilis ista Lugonis explicatio difficultate non caret., et Joanni Dicastillo non placet De Poenit. D. 9. Dub. 9. n. 817. seqq. Etenim, si valida est, licet *per accidens* confessio ista, generaliori significatione, *talis*; vel aliis verbis, si talis confessio absolute loquendo ad valididatem sufficit, ut absolute loquendo sufficit integritas formalis, quae hàberi potest in casu particulari, jam valida esset confessio per litteras vel per internuncium, absolute loquendo; si quis ex. gr., bona fide, vere et stricte talem confessionem perficeret per litteras vel per internuncium etiam extra casum mortis; quia si valida est in uno casu, saltem non ut formalis et stricte talis confessio, sed ut confessio latiori quadam significatione, et in altero casu praedicta confessio valida esse deberet, quemadmodum si quis bona fide existimaret non requiri integram confessionem; validam tamen confessionem efficeret. Subtilissimus Lugo responderet forte: illam confessionem validam quidem esse in ordine ad

validitatem absolutionis et Sacramenti, quatenus est confessio quaedam generaliori quadam significatione, de qua non agitur in Decreto Clementis VIII., sed non esse validam in ratione confessionis proprie et stricte talis, de quo tantum agitur in praedicto Decreto ; et sic fide bona cessante, iterum instauranda esset illa confessio peccatorum utpote invalida, et iterum absolutio ab illis obtinenda, utpote etiam invalida quoad remissionem in particulari et directam eorumdem peccatorum. Certe non apparet quid aliud posset respondere. Verum si illa confessio late talis valida est in ratione *confessionis sacramentalis* quoad explicationem peccatorum in communi, valida consequenter esset etiam quoad accusationem peccatorum in particulari, quae directe jam remitterentur, neque iterum essent accusanda. Et sane si illa confessio, quatenus est confessio peccatorum in genere est sufficienter *iudicialis* adeoque *sacramentalis*, cur non erit etiam sufficienter *iudicialis* et *sacramentalis*, quatenus continet accusationem in particulari peccatorum ? Insuper si in illa mortis necessitate valida esset confessio in communi in absentia, cur etiam valida non esset confessio proprie talis omnium peccatorum in absentia, quae certe adhuc perfectior confessio est et magis iudicialis ? Hinc Dicastillus aliter rem explicat. « Nam, ait, casus Clementis prohibitus est, quando poenitens vult *per literas seu internuntium confessario absenti peccata Sacramentali ex confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere*, in quo casu confessio ex voluntate confitentis fit absenti, et tanquam absenti ; nempe ex voluntate et intentione ab absente, tanquam ab absente, petitur, et obtinetur ab absente confessario collata poenitenti absenti, unde confessio illa nec reipsa nec ex voluntate et intentione confitentis est confessio vel proxime vel radicaliter aut remote, aut inchoative ordinata ad confessarium excepturum praesentis confessionem, et collaturum praesenti absolutionem. E contra vero in casu nostrae controversiae, sive redeat cum confessario, qui vocavit confessarium, sive non redeat, semper dat testimonium, quod aegrotus illum voluerit habere legitime, atque adeo praesentem confessarium ; et quod hujus legitime voluntatis, ut supponimus, signa dederit, atque adeo, quod habuerit animum confitendi peccata, quae notitia adhuc perseverat in confessario, quando adest coram aegroto sensibus destituto, et illius praesentiae, qua adest confessarius, causa, saltem inchoative, aegrotus ipse fuit per illam manifestationem, quae prius innotuit adstanti, qui vocavit confessarium ; atque adeo concatenatur, ut sic dicam, et conjungitur, illa tunc possibilis confessio cum praesentia Sacerdotis et praesentialiter collata absolutione, ut ex omnibus in praesentia aegroti ultimo completis fiat Sacramentale judicium absolutionis. Quam totam connexam seriem sic complector. Primo adest voluntas et poenitentia intentioque confitendi poenitentis, haec manifestatur per signa ; ex vi hujus manifestationis adstans, qui eam videt movetur ad vocandum confessarium, cui dat vocans testimonium et notitiam voluntatis et poenitentiae aegrotantis, ex vi autem hujus vocationis et notitiae adest confessarius ; ergo hujus praesentiae et notitiae, tunc in praesentia perseverantis primaria et radicalis causa fuit illa poenitentis signorum exhibitio, et adhuc censetur per intermedia praedicta esse causa istius notitiae : ergo etiam pro tali casu confessio fit aliquo modo possibili in praesentia confessarii ex vi prioris illius manifestationis procedentis ab aegro, ut exhibitae cum intentione expressa vel virtuali habendi penes se confessarium, cui confiteatur et a quo absolvatur. Ecce quomodo in casu etiam non redeuntis cum confessario illa notitia, quae tunc est in praesente confessario procedit saltem remote a manifestatione facta ab aegroto pro praesente confessario in finem absolutionis obtinendae, atque adeo illa manifestatio consummata manet in praesentia poenitentis existentis cum confessario. Nihil autem horum reperias, quod est maxime notandum, in casu Clementinae prohibitionis, quia in eo agi-

tur de eo, qui confitetur absenti, ut absenti, mittendo ad illum vel inter nuntium, qui aperiat illi peccata absentis, qui misit; vel litteras, in quibus legat absentis peccata; nec postulat, ut veniat ad poenitentem, et coram audiat et absolvat, sed vult, ut ait Pontificia prohibitio, *per litteras seu internuntium confessario absenti Sacramentaliter confiteri*, et a b *eo absente absolutionem obtinere.*» De Sacram. Poenit. D. 9. Dub. 9. n. 807. Cf. etiam nn. 808. 825. Et n. 828. « Habemus ergo ex dictis etiam illam manifestationem peccati, quae fit in illo casu necessitatis per Scripturam vel interpositam personam esse veram, propriam et judicialem confessionem non tamen per se, sed tantum per accidens in tali casu sufficientem. Quod non sit in ullo casu per se sufficiens satis nobis constat ex Decreto Clementis VIII. statuentis, *ne unquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur;* quod juxta dicta intelligendum est extra casum necessitatis, quando potest plene et perfecte quis confiteri. Quod vero in casu necessitatis, quando non est alius modus confitendi in articulo mortis, sufficiat ille modus confessionis constat ex aliis Decretis Leonis et Conciliorum.. Non tamen ex eo quod illa confessio illo modo fiat desinit esse vere et proprie, et stricte et iudicialis et Sacramentalis confessio; sed non est ordinarius ille modus confitendi, qui per se et primaria intentione usurpari debet ex Christi voluntate, et hoc ultimum est, quod Clemens voluit.» Itemque n. 839. « Clemens loquebatur de confessione ordinario modo, et ex intentione sic facta extra casum necessitatis, et non ordinata ad confessarium, ut adesset, sed ad illum ut absentem, noster vero casus est confessionis non ordinariae sed extraordinariae, et ordinatae ad Sacerdotem, ut sit praesens, et est confessio, quae radicaliter procedit a poenitente praesente, et quae adhuc censetur moraliter permanere, quando Sacerdos adest aegroto alienato a sensibus.»

39. Dicastilli explicationem refert La-Croix l. 6. P. 2. n. 1195. eique adhaeret, inquiens: « Declaravit autem idem Clemens, uti ostendit Dic. D. 9. a n. 831., docentque gravissimi Auctores cum Platel n. 756., quod confessio absenti facta non sit invalida, si fuerit ordinata ad absolutionem a praesente Sacerdote accipiendam... Satis certum est Clementem esse locutum de confessione non ordinata ad absolutionem a praesente Sacerdote accipiendam, sed propositio illa volebat, confessionem esse Sacramentalem, quamvis ordinaretur ad absolutionem accipiendam ab absente; hinc certum est propositionem illam esse damnatam etiam divisive.....» Eidem Dicastilli explicationi adhaeret Reuter Neo Confessar. P. 1. C. 7. n. 31.

§. XIV. *Sexta explicatio.*

40. Supposito quod Clemens VIII. vivae vocis oraculo declaravit, noluisse se suo Decreto mortis casum comprehendere; praedicta confessio, sive per se sive per adstantes, qualiscumque ipsius natura sive late sive stricte talis sit, in actu mortis valida est; secus iam illo Decreto comprehenderetur. Et sic exploditur alia aliorum explicatio, quod nempe ideo in praedicto mortis casu dari possit absolutio, non quia revera illa moribundi sensibus destituti confessio, sive per se ipsum, sive per adstantes sufficiat, sed quia semper casus verificari posset, quod moribundus sensibus destitutus appareat, et reapse non sit, et verum faciat tunc, actu, signum sensibile confessionis, quod non appareat et cognoscatur, et ideo sub conditione absolvendus. Haec explicatio, dicimus non subsistit; nam secus illa exceptio facta a Clemente VIII. jam non subsiste-

ret; siquidem tunc etiam praedictus casus articuli mortis comprehenderetur illo Decreto, et valida esset confessio quando aliquo modo actualis confessio, praesente confessario, haberetur; invalida quando tatis confessio praecesserit, confessario absente, et eo praesente nullatenus iam habeatur, licet per alios manifestetur, quod etiam aperte contra Romanum Rituale est; nam Rituale Romanum, in sensu obvio, nullum dubium ingerit validitatis confessionis; cum aequo modo infirmum absolvendum dicat, sive per se sive per alios confessionis desiderium significet.

§, XV. *Casus alii moribundi sensibus destituti.*

41. Absolvi etiam potest moribundus, quando adstantes, qui testantur de voluntate et de petitione confessionis non audierunt hoc ab ipso infirmo, sed ab aliis, atque adeo non sunt testes immediati, sed mediati. Ratio est, quia notitia mediata notitia est, quae sufficientem rei certitudinem suppeditare potest, si testes sint fide digni, et quia, stando communi explicationi, tunc confessio esset quasi per plures interpretes. Unde in Rituali Romano absolutio danda non alligatur ad testimonium immediatum, sed generaliter dicitur: Si confitendi desiderium per se vel per alios ostenderit absolvendus est. Ostendit autem per alios, qui per alios id mediate manifestat. Lugo l. c. S. 5., Dicastillo l. c. n. 843, Diana l c. Resol. 61. n. 2.

42. « Tertium dubium et majoris momenti est, an si is qui audiit infirmum petentem confessionem, inveniat Sacerdotem in itinere, et hoc ei manifestet, possit Sacerdos ex vi huius notitiae absolvere moribundum, quem postea invenit solum a sensibus destitutum, licet non repetatur coram infirmo illud testimonium, quia qui audierat jam discessit ad alium locum. Negant posse tunc absolvi illi, qui dicunt in casu propositae quaestionis confessionem fieri praesenti confessario per interpretem, et ideo non esse contra Decretum Clementis VIII. Nam si confessio fit tunc, quando testis dicit infirmum petiisse confessionem, consequens est, ut debeat fieri, quando confessarius praesens est poenitenti: alioquin confessio fieret in absentia, si solum in itinere id audiisset Sacerdos. Propter quod fundamentum hanc sententiam amplexus est Diana Tr. de absol. morib. Res. 7.... Alii tamen generaliter loquuntur, et volunt quomodocumque illud confitendi desiderium confessario innotuerit posse Sacerdotem absolvere poenitentem praesentem, sensibus destitutum. Pro qua sententia plures affert idem Diana l. c., dicens illam esse probabilem, quod idem affirmat Bonacina, in eam magis inclinans in praesenti Disp. 5. q. 5. Sect. 2. punct. 2. §. 4. num. 10. Et in nova editione tom. 3. Disp. 2. de Cens. q. 3. punct. 33., ubi dicit, ita Romae a multis iudicatum fuisse. Quod quidem videtur esse omnino juxta mentem et verba Pauli V. in Rit. Rom., ubi absque ulla limitatione, aut distinctione dicitur: *Si desiderium confitendi per se vel per alios ostenderit, absolvendus est.* In casu autem posito verificatur tota illa conditio, cum infirmus per alios desiderium confidendi ostenderit: ergo iuxta regulam illam a Pontifice propositam absolvendus est. Quod ipsum ex aliis decretis colligitur, quae absque tali limitatione loquuntur. Sic enim in Arausicano dicitur: *Si voluntatis praeteritae testimonium aliorum verbis habeat.* Et in Carth. Dicitur: *Dent testimonium qui eum audierunt.* Et in decreto Euseb. Papae dicitur: *Si idonea testimonia habuerit, quod ipse poenitentiam petiisset.* Denique S. Thomas in dicto Opusc. 65. generaliter dixit: *Si infirmus, qui petiit absolutionem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos adveniat, debet a peccatis absolvi.* Cum ergo non petatur talis conditio

testimonii in praesentia ipsius infirmi exhibendi, non est, cur a nobis talis conditio apponatur, » Lugo l. c. n. 84. 85.

43. Bonacina l. c. excommunicationem explicat constitutam a Clemente VIII. in suo Decreto, et ait : « 2. Materia istius excommunicationis sunt istae actiones. *Prima* est: dicere confessionem posse fieri in absentia confessarii, et ab eo absente absolutionem obtinere. — 3. Sed modo dubium est... quia sequeretur damnandam esse opinionem asserentem absolvi posse poenitentem, qui accersivit confessarium per nuncium, et adveniente confessario ita obmutuit, et ita sensibus destitutus est, ut nullum peccatum exprimere, aut doloris signum exhibere possit, nullusque tunc adsit, qui petitae confessionis fidem faciat... — 4. Respondeo primo ab aliquibus receptam non fuisse illam opinionem post Decretum Clementis VIII., quoties nulli adsunt testantes petitam fuisse confessionem, et hoc pacto explicare Concilia et Rituale Romanum, in quo habetur praefato poenitenti absolutionem impendendam esse. Verum, quia postmodum a Paulo V. confirmatum fuit Rituale Romanum, et multi Doctores Romae senserunt impedendam esse absolutionem, ideo Respondeo secundo illum casum ab hac regula censeri exceptum, quoties poenitens nulla ratione potest, adveniente confessario, accersito, peccata exprimere; nullus enim ad impossibile obligatur, et multa in extrema necessitate permittuntur, quae alias non permitterentur: tum quia melius est poenitentem in tali casu recedere cum absolutione sub conditione collata, quam absque ulla absolutione; fieri enim potest, ut cum dicta absolutione salvetur, nec irreverentia Sacramento irrogatur, cum absolutio sub conditione impendatur in casu necessitatis. *Secunda* actio, sub excommunicatione prohibita, est, defendere praefatam propositionem tanquam probabilem in aliquo casu. Hoc tamen intelligitur, nisi casus ille sit a Summo Pontifice approbatus, ut est casus propositus in responsione ad rationem in dubio proximo allatam num. 4. »

44. Viva Damn. Thes. Append. §. XI. « difficultas, ait, major est, utrum possit moribundus a sacerdote superveniente absolvi, si antequam hic adveniret, audivisset a fide dignis, quod ille dederit poenitentiae signa, quin ullus deinde ex adstantibus detur, qui id testetur coram infirmo. Negant plures Thomistarum... Verum communius cum Bonacina, Filliuccio et aliis apud Dianam affirmant, quia Concilia et S. Leo ac Rituale Romanum docent infirmum esse absolvendum a sacerdote adveniente, si desiderium poenitentiae sive per se sive per alios ostenderit; quin exigant, quod huiusmodi desiderium per alios ostendatur coram ipso infirmo; tum etiam quia Clemens VIII. in suo Decreto, noluit hunc casum moribundi comprehendere... de materiali omnino videtur se habere, quod id a testibus deponatur sacerdoti in praesentia, aut in absentia infirmi. » Ceterum, practice saltem loquendo, nullum de hac re, in praesenti, dubium esse potest. Etenim ex praesenti praxi confessarii omnes moribundum, jam absolvunt, sensibus destitutum, quamvis, praesente sacerdote, poenitentiae signa edere non possit. Cf. n. 8. « Tenemus nunc tanquam certum, ait Berardi De Recidiv. et Occasionar. V. l. n. 176., absolvendum esse moribundum sensibus destitutum, quamvis praesente Sacerdote, nulla, quae appareant, doloris signa praebeant. »

§. XVI. *Benedictus XIV. De moribundorum absolutione.*

45. « Accidit saepe, ut aliquis gravi morbo se opprimi sentiens, confessarium arcessi jubeat; verum interea temporis, antequam confessarius adveniat, loquelam et cognitionem amittit, attamen etiam sine

verbis aliqua dat poenitentiae signa tum ante adventum confessarii, tum in illius conspectu; aliquando etiam nullum coram confessario poenitentiae signum ostendit, quamvis antea nonnulla ipsius indicia dederit. Haec porro quotidie contingunt, sicut etiam quotidie fit, ut postquam aegrotus duo vel tria peccata confessus fuerit, confessionem prosequi amplius non possit. *In his omnibus impertiri absolutio debet.* Ita enim in antiquo Carthaginensi Concilio decretum fuit, relato in Can. *Is qui* 26. quaest. 6. *Is qui* etc., Cf. n. 19. Item in Epistola S. Leonis a Gratiano pariter relata in Can. *Multiplex, De Poenitentia,* dist. 1., Cf. n. 20. Et ut ad recentiora tempora descendamus addenda est constitutio Synodi Nemansensis, anno 1284. habitae, relata a Grancolas tom. 3. Veterum Liturgiarum pag. 772. *Si infirmus petierit sacerdotem pro paenitentia recipienda, vel aliqua signa poenitentiae fecerit, et interim, dum sacerdos veniret, obmutuit infirmus, vel factus est amens, aut phraeneticus; sacerdos veniens, sive ad nutum infirmi, sive ad testimonium eorum, qui audierunt ipsum petentem poenitentiam, vel presbyterum, vel aliqua signa poenitentiae facientem, debet ei, quicquid humanitatis vel consolationis poterit, impendere, absolvendo eum et reconciliando, et orationes dicendo, et Crucis osculum, si praesens Crux fuerit sibi dando.* Cum his concordat Rituale Romanum, tit 18., ubi de infirmo loquens ait. *Quod si, etc.* Cf. n. 16. Cumque nonnulli existimarent, aegrotum illum absolvendum non esse, qui coram confessario nullum poenitentiae signum dedit, quantumvis antea dederit coram illis, qui id ipsi confessario testificantur, suamque opinionem ea ratione fulcirent, quod Clemens VIII. Pontifex Maximus a. 1602, sequentem propositionem, veluti scandalosam ac temerariam damnavit: *licere per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere;* eorum tamen *error* ab aliis facilis deprehensus est. *Longe enim discrepat unus casus ab alio.* Consulatur Card. De Lugo De Poen. D. 17. S. 5. § 2, Card. Gotti t. 14. de Poen. q. 8. dub. 3. §. 2. n. 9., Diana. Ed. coord. T. 1. Tr. 3. Res. 74., Elbel Theol. Mor. p. 2. de Poen. Confer. 8. §. 1. n. 207. Narrat hic auctor praedictum Clementem VIII. interrogatum fuisse, an prohibendo confessionem in absentia, sive per litteras sive per nuncium factam, in animo habuerit hanc quoque confessionis speciem, de qua loquimur prohibere, et consequenter absolutionem, quam sacerdos impertitur aegroto iam iam morituro, et nullum paenitentiae signum aut confessionis desiderium in sui praesentia demonstranti, de quibus tamen signis, antea editis certior fit per testes, eundemque Pontificem negative respondisse asserit. Et quamvis ipse nullum huiusmodi responsionis documentum afferat, nihilominus, ita se rem habuisse, constat ex testimonio Petri Lombardi, Archiepiscopi Armacani, qui hoc idem andivisse se affirmat ex ore ipsius Pontificis, cum quo de hac quaestione tractaverat. Id autem responsum non solum relatum legitur in Operibus P. Coninck, de absolutione moribundi in fine, verum etiam in laud. Opere Card. De Lugo S. 4. n. 76. et 77. Quare cum olim maior Lusitaniae Inquisitor Supremae Inquisitioni Romanae hanc proposuisset quaestionem: *An censuram, et quam, mereatur haec propositio: valide impenditur absolutio, quando aegrotus coram uno, vel altero teste signa contritionis exhibet, deinde superveniente confessore, nullo externo signo confitendi voluntatem ostendit; constat tamen ex relatu internuncii, aegrotum ostendisse signa contritionis, et confitendi voluntatem:* Summus Pontifex Urbanus VIII. in Congregatione coram ipso habita d. 24. Febr. 1632 non solum absolutionem impertiri posse respondit; *SSmus dixit huic aegroto posse impertiri absolutionem:* verum etiam, ne laud. Decretum Clementis Papae VIII. negotium ullum facessere posset, addidit: *nec id repugnare Decreto Clementis VIII., cum diversam contineat rationem.* Uno verbo in casu, de quo agimus, poenitens per alios ostendit suum confitendi propositum, idque

satis est ut in eo statu, in quo positus est absolutionem consequi possit, ut in supra cit. Rituali statuitur. Nec disputandi locus est; utrum in hoc casu absolutio conditionata, an simplex et absoluta esse debeat. Haec enim controversia locum non habet, *nisi cum signa ab infirmo edita, seu quae confessario a testibus referuntur, dubia prorsus ac aequivoca per seipsa sint, aut fuerint.* In his namque circumstantiis, sunt qui putant absolutionem sub conditione impertiendam esse. Ita legitur in Instructione pro sacerdotibus ad confessarii ministerium recens deputatis. Romae edita per quendam Presbyterum Congregationis Missionis, p. 2, c. 12. §. 1. n. 191 et seq. Et Card. De Lugo supra laud. explicans modum impertiendi absolutionem conditionatam, quando dubia sunt signa, quae ab infirmo ostenduntur, aut ostensa sunt, ita prosequitur, De Poenit. D. 17. S. 5. §. 2. n. 31. *Si dubitat*, etc. » Cf. n. 24.

46. « Quae hactenus dicta sunt ad eos pertinent, qui in mortis articulo constituti, poenitentiae signa, aut confitendi votum ostenderunt, vel coram Confessario, vel coram aliis sibi adstantibus, qui hoc ipsum Confessario testificantur. Nunc agendum est de absolutione illorum, qui gravi aliquo et repentino casu oppressi, vel morbo correpti, extremum agunt spiritum, absque eo quod ulla dederint, vel dare valeant poenitentiae signa. Quod cum et iis contingere possit, qui vitam ex christianae legis praescripto semper duxerunt, et Sacramenta frequenter suscipere consueverunt; atque illis etiam, qui de aeterna salute sua plerumque nihil cogitantes, flagitiis saepe se contaminasse noscuntur; de prioribus potissimum intelligenda sunt ea quae subjicimus. Antiquorum Theologorum communis opinio fuit, quam multi adhuc tuentur, quod nullis editis a poenitente actibus, absolutioni sacramentali impertiendae locus esse non possit. Ita Natalis Alexander in Theol. Dogm. Mor. l. 2. de Sacr. Poenit. art. 7. regula 17. et Pontas in verb. *Absolutio* casu 4., ob eam nempe rationem nuper indicatam, quod scilicet, cum poenitentis actus non adsunt: deest materia necessaria Sacramenti Poenitentiae, cumque praeterea Sacerdoti notus non sit praesens poenitentis status, ejusdemque voluntas, non potest is, judicantis in modum, absolutoriam sententiam proferre. Afferunt etiam in hujus sententiae confirmationem, quod Sorbonae facultas theologica a. 1665. propositionem damnavit ex quodam libro excerptam, quae sequentibus verbis concepta legitur: *Qui amiserit loquelam vel usum rationis, si bene vivebat, ut bonus et fidelis et frequentabat Confessionem et Communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quin ex insperato talia acciderunt, debet praesupponi contritus, et faciente aliquo confessionem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia et peccato:* quam quidem praedicta Parissiensis facultas sequenti censura notavit: *Doctrina huius propositionis, universim, et absolute sumpta est in praxi periculosa* ».

47. « Adversus hanc, quae communis appellari poterat opinio, insurrexit celebris Auctor Ioannes Morinus in suo Tr. de Sacr. Poenit. l. 10. cap. 10. hac innixus ratione, quod si iam receptum et ratum est, ut qui loquelae usu destituitur, nullumque poenitentiae signum coram sacerdote exhibet, absolutione donetur, quoties adstantes sacerdoti testificantur, eundem ante illius adventum, vel confessionem suam audiri postulasse, vel dolorem de peccatis significando, absolutionem consequi expetiisse; eo fortius absolvi poterit, vel potius debebit is, cui licet nemo testimonium reddat, quod ante adventum confessarii poenitentiae signa dederit, tot tamen testes sunt de eius proposito recipiendi Sacramenta in supremo vitae discrimine, quot sunt actus Christianorum virtutum, quot Confessiones sacramentales, et Communiones Corporis Christi, quot demum religionis et pietatis opera, quibus in universo suae vitae cursu manifestatum probitatis specimen praebuit. Ad hanc vero opinionem roborandam Morinus ipse quoddam Clementis VIII. Pontificis factum re-

fert, qui fabro murario e Vaticanae Basilicae fastigio forte decidenti, ita absolutionem impertitus fuisse dicitur: *Si es capax absolvo te a peccatis tuis:* ut legitur apud Homobonum in exam. Eccles. part. 1. tr. 7. cap. 18. quaest. 84. Praeterea affert Gregorii Papae XV. auctoritatem, qui dum Bononiensem Archiepiscopatum obtinebat, in suo *Memoriali Confess.* cap. 1. de forma Sacram. Poenit. n. 16. S. Antonini doctrinae adhaerens, docuit, *posse etiam absolvi moribundum assuetum frequentare Confessionem, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit.* Ac denique in medium profert Ecclesiae Lemovicensis Constitutiones editas anno 1620. in Synodo, cui undecim Abbates, Decani tres, Praepositi septem, ac decem Priores, totidemque Archipresbyteri interfuerunt: *Poterit quoque idem applicari remedium,* videlicet sacramentalis absolutionis, *ei qui iudicio omniumque sensuum usu statim captus est, non petita poenitentia, nulloque signo contritionis edito, cum violentia morbi judicatur de repente et ex improviso praeventus et oppressus, et christianae vixit; ferrique potest iudicium ex actionibus vitae, et moribus, eum libenter, Poenitentiae Sacramentum petiturum fore, si tempus et morbi violentia permisissent; licet hoc in casu nihil de absolutionis effectu promittere possimus; sed animarum salvandarum causa, nullum remedium omittere debemus, quod Deus potestati nostrae commisit; Deum orantes, ut immensa bonitate, et misericordia, quod deest aegrotorum dispositioni suppleat, cetera inscrutabilibus Dei iudiciis commendantes.* » Morini opinio complures sectatores invenit ex his, qui post eum scripserunt; quos inter numerandi sunt Merbesius Disser. 4. de Poenit. quaest. 85. Item Iuenin de Sacram. Disser. 6. de Poenit. quaest. 7. §. 3., qui observat hoc idem in Rituali Ecclesiae Tullensis, jussu Card. de Bissy, olim Tullensis Episcopi, edito praescriptum fuisse: cui nos addimus etiam illud bon. mem. Card. de Rohan Argentinensis Episcopi, in cuius Proemio num. 4. ita legitur: *Si qui fidelium subito obmutescerent, vel omni rationis usu destituerentur; iis ultimo casu correptis. non neganda absolutio, et Extrema Unctio; modo cum sani essent, vitam duxerint homine christiano dignam. Tunc enim praesumi debent habere sufficientem ad illa Sacramenta recipienda intentionem.* Genett. tom. 4· Theol. Moral. tr. 6. de Sacram. Poenit. cap. 12. quaest. 5., Tournely in Praelectionibus Theologicis de Sacram. Poenit. tom. 2. pag. 836. Henricus a S. Ignatio tom. 3. lib. 5. cap. 196. et 197. Neesen tom. 2. tract. 5. de Sacram. Poenit. dub. 14. Auctor vero, qui Opus citati Pontas, latine redditum, additionibus locupletavit praed. casu 4. animadvertit, non tanti quidem faciendam esse rationem illam ab adversariis celebratam, quod scilicet, cum poenitentis actus non adsunt materia desit Sacramenti Poenitentiae. Nec enim certum est, materiam Sacramenti esse huiusmodi poenitentis actus, cum Tridentinum Concilium illos haud praecise *materiam* sed *quasi materiam Sacramenti* appellaverit: uti videre est Sess. 14. de Poenit. cap. 3. (Cf. de hac re Catechismum Conc. Trid. de Sacr.) Quod si etiam necessaria Sacramenti materia in huiusmodi actibus constitui deberet, ipsi iam antea praecessisse dicendi essent, et tunc pro praesentibus haberi possent: non secus ac petitio absolutionis, quam poenitens ante confessarii adventum emisit, sed coram eo amplius exprimere ac repetere non potest, pro praesenti habetur ad eundem effectum, ut scilicet confessarius eiusmodi poenitentem iam sensibus et loquela destitutum absolvere non dubitet. »

48. « Et haec quidem sententia inter theologos novissimis temporibus tantum invaluit, ut Auctor Theologiae Moralis ad usum Seminarii Petrocorensis, dum eam sibi nequaquam probari significat, ad ultimum tamen admittat, ejusmodi moribundis absolutionem dari posse *sub conditione*; ut videre est in illius tom. 4. lib. 2. tr. 1. quaest. 10. Similiter P. Berti loco superius citato aperte docens, quod juxta scholae vigorem, ejusmodi infirmi minime dici possent absolutionis capaces, id quod etiam

fuse comprobat Cabassut. in Theor. et Praxi Iur. Can. lib. 3. cap. 11. num. 10.; cum tamen tot esse videat dectissimos viros, qui eorum capacitatem admittunt, eamque constituunt in retroacta illorum vitae probitate ac pietate, conditionatam absolutionis formam cum ipsis adhiberi posse non inficiatur. Hanc vero licet aliqui nec reiiciendam putent, ubi agitur de hominibus in mortis articulo constitutis, qui neque recenter poenitentiae significationes ediderunt, et dissolutam, flagitiosamque vitam, sceleribus semper inquinatam egisse palam dignoscuntur, quive etiam in actuali peccato moriuntur, dummodo catholicam fidem retinuerint, et pro catholicis se gesserint, ut videre licet in supra dicta Instructione pro Confessariis tyronibus part. 2. cap. 10. §. 1. n. 193.; id tamen nullo pacto probatur iis, qui cum Morino putant, rectam et religiosam vitae rationem, et Sacramentorum frequentiam, qua aegrotus ipse in omni vita fidem suam ex operibus comprobavit, justam praebere causam, ut, quamvis idem in mortis articulo morbi vi oppressus, nullum poenitentiae signum dederit, aut dare valeat, nihilominus sacramentali absolutione, vel sub absoluta, vel sub conditionata forma, donari possit. » De Syn. Dioec. l. 7. C. 15. §. VIII. seqq.

§. XVII. *De amentibus in articulo mortis.*

49. Haec de amentibus habet Dominicus Viva l. c. §. ult.: « Utrum amentibus conferri possit in articulo mortis absolutio sacramentalis sub conditione, quod sint capaces? Ad quod dicendum, quod sicut amentibus, qui post usum rationis in amentiam inciderunt, aut sunt semifatui, non est deneganda in articulo mortis Eucharistia, si possint illam citra irreverentiam sumere, ut docet Angelicus 3. p. 9. 80. a. 9., ita nec est iis deneganda absolutio sub conditione ob rationes supra dictas (ubi nempe prudenter praesumi possit, quod signum dent doloris et confessionis), praesertim, quia passim Deus huiusmodi amentibus concedere solet in eo articulo aliquod lucidum rationis intervallum, ut possint conteri, velle, et aliquatenus petere Sacramenta. Et sane ex Conc. Carthaginiensi et ex Decretali *Is qui* 26. q. 2. apud eundem Angelicum, si huiusmodi amentes ac phrenetici in infirmitate Poenitentiam petierint, et adstantes id testentur deinde Sacerdoti, hic debet absolute eos in articulo mortis absolvere, necnon sacro Viatico munire; ergo ubi desit huiusmodi testimonium adstantium, sed detur prudens dubium quod absolutionem petierint in aliquo lucido rationis intervallo, poterit iis absolutio sacramentalis impendi sub conditione..... Perpetuo tamen amentes, si constet nunquam habuisse rationis usum, aequiparantur infantibus, atque adeo nec Absolutio, nec Extrema Unctio est iis ministranda, immo nec Eucharistia. » Valent profectio hic quae habet S. Alph., l. 6. n. 432., de pueris et de semifatuis. « Dico probabiliter posse absolvi puerum vel semifatuum sub conditione, quando dubitatur de ipsorum dispositione: et quidem si urgeat periculum mortis vel praeceptum paschale, communissime dicunt DD..... tales esse absolvendos sub conditione, si dubie sint dispositi, maxime si confessi sint aliquod dubium mortale, quo casu, ait Lugo, non videri de hoc dubitandum. Idque puto omnino dicendum... etiam extra tempus mortis, vel praecepti.... in eo enim casu non solum adest justa causa utilitatis, ne poenitens privetur gratia sacramentali, sed etiam necessitatis, ne ille forte maneat in mortali; in tantum enim alii usu rationis praediti non debent absolvi, cum de ipsorum dispositione dubitatur, quia adest via et spes, quod dilata absolutione *breci* illi certo dispositi redeant et absolvantur; sed quoad hos semifatuos et pueros nondum perfectae rationis compotes,

deest haec via et spes, quod brevi afferant hanc certam dispositionem. Imo non improbabiliter dicunt Sporer, etc. posse absolvi sub conditione hujusmodi pueros; etiamsi afferant tantum levia, ne diu priventur gratia sacramentali, et ne maneant in mortali, si forte habeant. » Atque haec multo magis, ut patet, locum habent in articulo mortis.

§. XVIII. *De moribundorum assistentia.*

50. Egimus hactenus de simplici moribundorum absolutione, dicendum nunc aliquid est de eorundem assistentia. 1°. Parochi aliique animarum curam gerentes, generatim loquendo, moribundis adsistere tenentur, etiamsi eos Sacramentis rite munierint. Id clarissime evincitur ex Rit. Rom., De administratione Extremae Unctionis, ubi dicitur « Admoneat (parochus) etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, *statim ipsum parochum accersant, ut morientem adiuvet, eiusque animam Deo commendet*; sed si mors immineat priusquam discedat, sacerdos Deo rite commendabit. » Et, De modo adiuvandi morientes: « Ingravescente morbo parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem diligenter iuvare non desinet; *monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti.* » Ratio autem patet ex illa temporis circumstantia, in qua infirmus maxime pastoris opera indiget, cum vehementiores tunc instant tentationes; et maior adsit spiritualis subsidii necessitas.

51. 2°. Obligatio haec, *per se loquendo*, gravis non est. Nam cum infirmus, ut supponitur, jam receperit omnia Sacramenta; nisi constet de novo peccato commisso vel de Sacramentis male receptis, illa adsistentia absolute necessaria non est pro aeterna infirmi salute, sed illi tantum est magnae utilitatis. Neque vero aliunde positivo Documento *certo* constat de gravi semper obligatione. Cf. Enchiridion Morale N, 505. Attamen *per accidens* et *de facto* ea obligatio gravis esse potest, ob novum peccatum commissum, quod infirmus confiteri indigeat, qui casus certe non raro contiget, si post ultima Sacramenta recepta infirmus non statim moriatur, sed diutius adhuc vivat, vel si antea non bene confessus sit. Cf. Giraldi Animadv. in Barbosa de Officio parochi, part. 1. C. VII. n. 26., Possevinum de Officio Curati C. XIII. n. 13.

52. 3.° Praecedens obligatio major quidem est quoad illos, qui male vixerunt, quam quoad illos, qui christianam vitam duxerunt. Ratio est, quia majus pro illis aeternae salutis periculum adest, quam quoad istos. Hinc si agatur de moribundis, qui pie omnino vixerunt, bene dispositi apparent, nec aliunde prudens periculi peccati timor habeatur parochi assistentia, communiter loquendo, optima quidem erit, sed non necessaria.

53. 4. Si parochus legitime impeditus fuerit morientibus assistere, potest praedictae obligationi per alios satisfacere. Id eruitur ex ipso Rituali Romano, quod generatim de infirmis loquens, et nihil distinguens inter varios infirmos, ait: « Quod si parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sint, visitationi interdum vacare non potest, id praestandum curabit per alios sacerdotes. » Confirmatur ex Statuto S. Caroli Borromaei in Conc. Mediolanensi IV., et evidenti ratione: nam cum plures sint parochorum occupationes impossibile saepe erit, quod illis omnibus per seipsum satisfaciat.

54. 5. An autem hujusmodi assistentiam in longa infirmitate et agonia usque ad extremum spiritum parochi praestare teneantur? Affirmative respondendum est ex Rituali Romano. Etenim primo, in Tit. *De Com-*

munione infirmorum, dicitur : « Hortetur parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiam si graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat, maxime si festi alicujus celebritas id suadeat, neque ipse illam ministrare recusabit. Pro Viatico autem ministrabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger, sumpto Viatico, *dies aliquot vixerit,* vel periculum mortis evaserit, et communicare voluerit, ejus pio desiderio parochus non deerit. » Haec talia sunt, ut continuam curam et assistentiam supponant ; ita ut nullo modo parochus muneri suo satisfaciat, si, semel Viatico et Extrema Unctione ministratis, de infirmis nullam amplius curam habeat. Praeterea, Tit. *De visitatione et cura infirmorum,* dicitur : Parochus in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, aegrotantium curam habere. Quare cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curae suae commissis aegrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat ; *idque non semel tantum sed saepius, quatenus opus fuerit.* » Haec profecto cura, frequentibus visitationibus, maxime habenda est cum infirmus proximus est morti, et periculum adsit suae aeternae salutis, ut evidenter apparet ex toto huius Tituli contextu. Et sic Tit. sequenti, *Modus juvandi morientes,* haec initio monentur : « Ingravescente morbo, parochus infirmum *frequentius visitabit,* et ad salutem diligenter juvare non desinet, *monebitque instante periculo se confestim vocari, ut in tempore praesto sit morienti,* sumptoque SSmo Viatico et sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis animae officium praestabit, de quo infra. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia praestare poterit, si ita expedire judicaverit, pro conditione personae. Ac primo, » etc. Et deinde, Tit. *Ordo Commendationis animae,* « Parochus ad decedentis animae commendationem accedens .... dicat : .....Postea Salvatoris nostri Crucifixi imaginem aegroto osculandam praebeat, verbis efficacibus eum ad spem aeternae salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens, salutis suae spem sumat. Deinde, accensa candela, genibus flexis, cum omnibus circumstantibus breves Litanias devote recitet in hunc modum, etc. Deinde cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicentur sequentes Orationes, etc. Si vero diutius laboret anima, poterit, » etc. Et Tit. *In Expiratione* « Cum vero tempus expirandi, institerit..... ipse moriens, si potest, dicat, vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet : *Iesu, Iesu, Iesu,* quod et ea, quae sequuntur, ad illius aures, si vi ebitur, etiam saepius repetat, » etc. Haec omnia assistentiam parochi certe significant usque ad extremum spiritum, etiamsi longa sit agonia. Possevinus loc. cit. quaestionem movet : an Curatus teneatur apud moribundum manere die ac nocte ? Cui respondet : « Si moribundus sit impoenitens credo teneri omni modo et via, dum superest halitus, illius salutem procurare et tanto gravius teneri, quanto periculosius est damnum vicinum et irreparabile moribundi. Si vero is recepit Sacramenta et christiane vixerit est bonum apud illum manere, sed non necessarium, consuetudine generali ita interpretante. »

55. In hac assistentia moribundorum illud notandum est, quod observat S. Alphonsus : « Monet tamen Rituale ne sacerdos nimis loquendo, et crebris sententiis, ut aliqui solent, infirmo potius caput obtundet, quam adjuvet. Pater Recupitus e Soc. Jesu de seipso refert, morti proximum quidquid ei dicebatur, non intellexisse, sed tantum quoddam molestum murmur, ita ut ne magis caput laederent, coactus rogaverit, ut aliquam verbis moram interponerent » Prax. Confessar. n 234. « Dum manus, pedes, etc. infirmi tangit, ut an friguerit videat, caveat saltem ne saepius fiat, ne eum perturbet ». Ib n. 276. Pessima sane praxis est quorundam infirmariorum in Communitatibus religiosis, qui singulis momentis, et nulla discretione, tangunt frontem, collum, manum moribundi, et arte-

riam manu premunt quantum possunt, quae certe si sano molesta essent moribundo ingrata profecto erunt, si sensibus non sit destitutus. Cf. Scavini V. 4 Append. VII.

56. Ut antem parochus aegre ferre non debet, ut alius etiam sacerdos ad aegrotum solandum accedat; ita multo minus impedire debet, ne moribundus alteri confiteatur. Moribundus, plenam libertatem habere debet, quem velit confessarium advocandi. Ex S. Joanne a Cruce interfector esset animarum, qui contenderet ut aegrotus, vel quivis alius sibi confiteatur. Si desit in confessarium fiducia, gravissimum adest periculum, ne ex humana verecundia, in mortis etiam articulo, peccata reticeantur, quod non semel iam evenisse comperta res est S. Alph. in epistola quadam ad novum Episcopum n. 11. « Multi, ait, etiam in puncto mortis, ultima recipientes Sacramenta, propter hanc detestabilem verecundiam peccata reticuerunt ». Cf. etiam Selva p. 3. c. 6. Istruz. al pop. Avvert. all'Istrut. n. 9. Et Pallavicinius refert S. Joann. Bapt. De Rossi quemdam invenisse, qui tredecim vicibus Extremam Unctionem receperat, et semper in confessione peccata celaverat. Sacerd. Santif. n. 20. Cf. etiam Mach Tr 12. c. 2. §. 4. n. 7. et Tr. 13. c. 6., Del Vecchio Comp. Scav. T. 1. n 279., Berardi De Recidiv. et Occasion. V. 1. n. 177. Hinc optime cautum est in quibusdam recentiorum monialium Constitutionibus, ut monialibus in articulo mortis constitutis, non expectata earum petitione, omnibus indiscriminatim extraordinarius confessarius offeratur, quem ipsaemet voluerint. Oblivioni tandem danda non est Indulgentia plenaria in articulo mortis. Cf. Enchirid. Moral. N. 1088.

INDEX ANALYTICUS RERUM

De absolutione et assistentia moribundorum.

§. I. *De moribundis, qui aliquo saltem modo confiteri possunt.* — Praescriptio Ritualis Romani. — Impossibilitas obligationis implendae. — Monitio omittenda. — Reservatio peccatorum et censurarum. — Confessionis integritas. — Poenitentia iniungenda. — Absolutio danda, deneganda. — Paterna Confessarii caritas . . . . . *Pag.* 50

§. II. *De moribundis, qui confiteri non possunt, et qui nullum dant signum confessionis.* — Variae theologorum sententiae. — Distinctio facienda. — Doctrina S. Augustini. — Duae moribundorum classes. . . . . » 52

§. III. *Praecedentis casus difficultas.* — Ballerinii sententia. — Opinio Scoti. — Sententia communis . . . . . » 53

§. IV. *De absolutionis iteratione in praecedenti casu.* — DominicusViva. — S. Alphonsus. . . . . » 57

§. V. *De moribundis signum dantibus confessionis, cum confiteri non possint, praesente sacerdote.* — Absolutio absolute danda. Huius absolutionis materia. — Solvitur difficultas . . » 58

§ VI. *De moribundis signum dantibus confessionis, cum confiteri non possint, absente sacerdote.* — Absolutio danda. — Positiva Documenta . . . . . *Pag.* 59
§. VII. *An in praedicto casu absolutio danda sit sub conditione solum explicita?* — S. Alphonsus. — Lugo. — Ratio. » 60
§. VIII. *Praecedentis doctrinae difficultas.* — Clementis VIII. Decretum. — Huius Decreti sensus et rationes. — Suaresius. » 61
§. IX. *Prima difficultatis explicatio.* — Explicationis huius difficultas . . . . . » 63
§. X. *Altera et communis difficultatis explicatio.* — Coninck. — Diana . . . . . » 64
§. XI. *Tertia explicatio.* — Confessio et desiderium confessionis. — Archiepiscopus Armacanus . . . . . » 65
§. XII. *Quarta explicatio.* — Lugonis sententia . . . . » 66
§. XIII. *Quinta explicatio.* — Dicastilli sententia . . . . » 67
§. XIV. *Sexta exolicatio.* — Reiicitur . . . . . » 69
§. XV. *Casus alii moribundi sensibus destituti.* — Praesens praxis . . . . . » 70
§. XVI. *Benedictus XIV. De moribundorum absolutione.* — Confirmantur ea, quae praecedentibus paragraphis exposita sunt. » 71
§. XVII. *De amentibus in articulo mortis.* — Dominicus Viva. — S. Alphonsus. . . . . » 75
§. XVIII. *De moribundorum assistentia.* — Varia pro variis casibus obligatio . . . . . » 76

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Julius Lenti Patr. Constantinop. Vicesg.

234.14
B.851
4741
BUCCERONI, ~~Januario~~ Gennaro
AUTHOR
COMMENTARII De Auxilio Infidelibus ed 2a
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
NOV 20
4741